MNEMONICA,

Sive

Reminiscendi Ars: è puris artis naturæque fontibus hausta, & *in tres libros digesta.*

Nec non,

DE MEMORIA NAturali fovenda libellus; è varijs doctissimorum operibus *sedulò collectus.*

Iam primùm in lucem edita, authore IOANNE WILLISSO, *sacræ Theologiæ baccalaureo.*

Omne bonum, Dei Donum.

Vt vnaquæque ars nobilissima ac diuinissima fuit: ita ad mortalium cognitionem tardissimè peruenit. Cardanus.

LONDINI,

Per *Humfredum Lownes*, sumptibus *Nathanaelis Browne.* 1618.

Inter paginas 58. & 59. inseratur sculpta figura.



Prolegomena.

ETsi sperem (lector humanissime) hanc reminiscendi artẽ, a me traditam, omnibus numeris adeò perfectam esse & absolutam, vt detrectatorum inuidiæ superstes futura sit: Tamen cùm iam primùm quasi fœtus recens extrusus, luci se ostendat, liceat mihi, verbo vno aut altero, quàm sit ars ista rationi natu æq; principijs congrua demonstrare, vt quam præiudiciũ multorum diù proscripsit, postliminio iam tandem reuocem. Cùm verò satis intelligam, totam in hac parte controuersiam, in loca-

 li

li (quæ dicitur) memoria sitam esse; Idcirco alias reminiscendi vias, quæ in huius opusculi primo & secundo libris tractantur penitus relinquens, in hac propugnanda, quæ in tertio continetur, tantùm insistam, apertissimisq́ rationibus euincam, non adeò ab arte, naturaliq́ reminiscendi vsu illam abhorrere, atque scioli ogganniunt.

Primùm igitur contendo, nedum fateor, literas memorandorum custodes esse fœlicissimas, inscriptionemq́ memorabilium in libris omnem aliam reminiscendi artem longè superare. Verùm non semper licet, quæ recordari cupimus, literis statim mandare, vnde ad aliam tunc temporis memorandi rationem necessariò confugiendũ est. Et quoniam inscriptio

tio rei memorandæ optima habetur recordandi ratio, sanè ea proximum huic locum vendicare videtur, quæ huic est simillima. Iam verò si rem æqua lance perpendamus, scriptioni valdè affinē esse reminiscendi modum per locos & ideas siue imagines, facilè deprehendêmus. Etenim in artificiosa memoria loci sunt tanquam folia chartacea, imagines quasi literæ, dispositio imaginum in locis scriptionem refert, earum deniq; repetitio lectio quædam existit. Id quod Cicero *in partitionibus, & multò copiosiùs in secundo libro de Oratore disertè tradit.*

Deinde experientia docemur, cùm locos tùm ideas plurimum emolumenti adferre, ad res fideliter custodiendas. Siquidem, quod

ad locos attinet, memoriam multùm eis adiuuari, vel hinc cõstat, quòd siquis viator in biuio vel parte aliqua viæ insignioris notæ insolens quippiã aspexerit, posteà eôdẽ reuersus, non modò locũ ipsum recognoscit, verùm etiã quicquid ibi viderat, licet iam semotũ, in mentem reuocat. Idem etiam in idearũ lectione persæpè euenit. Nam cùm per eosdem locos mens quasi obambulat, in quibus ideas antè disposuit, dispositasq́ue impensiùs notauit, etiã cũ proposito reuisendi, certè non leue adiumentũ loci ipsi cõferunt, ad ideas locatas producendas. Sic typographus literas in notos loculos distribuens, inde absque mora repetit, & ad rectos loculos manũ dirigit. Hûc pertinet historia Simonidis Chy, qui cùm apud Scopam virum prædiuitem

diuitem cum multis alijs fortè cœnaret, nuncium accepisse fertur, adolescentes fuisse duos ante ostium eum præstolantes, qui cum illo foràs loqui cupiebant. Surrexit ergò Simonides, & prodijt. Interim verò dum is foràs esset, conuiuæ subita ruinâ cœnaculi, ad vnum omnes occubuerunt. Quapropter cadauera cùm amici sepelire vellent, ea adeò obtrita inuenerunt, vt internoscere nequirent. Hinc Simonides mente benè gerens, quoto quisque cõuiuarum loco ad mensam sederet, eorum omnium corpora digito designauit, & hâc prima occasione admonitus fuit, locos & ordinem ad memoriam excitandam multùm prodesse potuisse. Inde etiam de arte reminiscendi nonnulla tradidit, quæ tamem omnia

profunda vetustatis voragine sic iam absorbentur, vt nusquam appareant. Extat & huius rei aliud insigne exemplũ, de Darij ad Persicam monarchiam electione. Cùm enim mortuo Cambyse (vt testatur Herodotus) inter septem Persarum primores pactum esset, vt subsequente mane, omnes vnà equum conscendentes loca suburbana circumequitarent, cuius autem equus primus hinnitum redderet, ad eum sine reliquorum inuidia rerum summa deuolueretur: Darius vnus ex eorum numero, astutiâ equisonis sui, regnum ad se transtulit. Erat huius Darij equiso vir callidus & ingeniosus, cui ipse rem pandit vniuersam, simul admonens, vt siquâ ratione hoc effectum dare posset, sedulò ageret. Hic eum

securo

securò iubet esse animo, se enim id quod tantópere cupiebat, effecturum. Itaque sub conticinio, equam ab equo Darij præcipuè amatam eduxit: eámque in viâ publica, quam postero mane Dynastas transequitare oportuit, alligauit: postea Darij quoque equum adducens equæ admonuit, ac demùm admisit. Oriente sole, primores Persiæ in equos simul insiliunt, locáq; suburbana obequitant. Cùm verò illuc peruentum esset, vbi equa alligata fuerat, Darij equus confestim hinnire cœpit. Nec mora, reliqui omnes ab equo descendentes regem suum agnouerunt. Hoc exemplo satis patere arbitror, quantum loci valent ad memoriæ excitationem, cùm bruta etiam animalia locatũ per locum recordantur.

 Porrò

Porrò ideis etiam memoriam suscitari manifestum est. Nemini enim non notum est, memoriam circa sensibilia potentiorem esse, quàm circà insensilia, & circà visibilia quoque quàm alia sensilia: idéoque audita faciliùs memorari, quàm mente nudè concepta, atque etiam visa quàm audita meliùs custodiri; secundum illud poetæ, Segniùs irritant animos dimissa per aures, Quã quæ sũt oculis subiecta fidelib. & quæ ipse sibi tradit spectator.

Hinc est, quòd medici eis suadent, qui arti medicæ operam daturi sunt, non modò libros Hippocratis, Galeni, aliorúmue peritissimorum medicorum, philosophorum, anotomistarum, herbariorúmue opera euoluere, aut etiam lectiones publicas audire, sed

sed ipsis quoque dissectionibus interesse, ipsasq́ herbas propria manu legere, vt cùm oculis semel viderint, nunquam imposteram obliuiscantur. Illud idem hîc suadeo. Quod cupis recordari, viuã illius ideã imaginatione forti sic efformes, ac si oculis reuera cerneres. Quemadmodum enim pruna penè emortua, simul atq́ chartula sulphure infecta attingitur, exuscitatur, & in flammam erumpit: Sic notio per se languida, applicatione ideæ suæ vires resumit, & excitatur. Etenim cùm intellectus omnis è sensibus externis oriatur, optimè sequitur, quòd intelligibilia ad sensus reducta ipsum intellectum citiùs informent. Hinc in sacra scriptura spiritus sanctus se nostro captui submittens, deo ipsi spiritibusq́

busque inuisibilibus, membra corporea sensusque exteriores sæpè attribuit, quia horũ naturam per sensibilia sic obumbratam meliùs percipimus. Omitto quòd facultas imaginatiua ab imaginibus vel ideis in cerebro confictis dicta est. Omitto item quòd intellectus, ab interna lectione idearũ in memoria reconditarum, dici arguatur. Memoria enim quátenus strictè sumitur pro communi memorandorũ receptrice merè passiua est, notionesque ab imaginatione efformatas, & sibi ab intellectu transmissas haud aliter recipit ac conseruat, quàm charta dictiones sibi inscriptas. Itaque sicut scribere & scripta legere notarii officium est non chartæ: Sic ideas in memoria reponere, repositasque in vsum expromere,

opus

opus est intellectus non memoria. Quid quòd monimenta omnia mnemosyna existunt, & quasi ideæ vere visibiles, quibus memoria præteritorum posteritati commendatur? Sic bustum Semiramidis, & Herculis columnæ, vtriusque memoriam apud posteros conseruarunt. Sic legimus in sacra pagina, duodecim lapides in Iordâne fluuio erectos fuisse, in signum memorabile transitus Israelitarum, Ios. 4. 9. Itémque saxum ingens sub quercu positũ, in memoriam fœderis populi cum deo ibidem initi. Ios. 24. 27. Quid quòd & ipsa quoque sacramenta a deo instituti sunt, tanquam ideæ visibiles rerum inuisibilium, quibus nos nimis immemores beneficiorum suorum in Christo commonefacit? Déniquè in

in vsu vulgari est, vel apud illiteratos & plebeios homines memoranda quandoq; per ideas reponere. Vnus enim cùm nomen cuiusdam Piscatorem esse didicit, ad hoc nomen firmiùs apprahendendum de piscatore retia colligente cogitat. Alius certum quoddam negotium sibi commissum habens, quod veritus est ne obliuiscatur, digitum auricularem tæniola aut filio circumligat, vt huius tanquam visibilis ideæ subdititiæ intuitu, negotium sibi commendatum in mente teneat. Vnde constat, idearum efformationem, ad res memoria tenendas, quodam modo naturalem esse, cùm omnium bonarum artium inscios ideis vti ipsa natura edocuit.

Iam restat, vt ijs obiectionibus respondeam, quibus huius artis aduer-

aduerſarij dignitatem eiuſdem obſcurare, & fidem labefactare conantur.

Primò etenim obijciunt, memoriæ naturalis facultatem, ipſúmque adeò ingenium vſu huius artis præmodum obtundi: Auctores enim qui de hac re ſcripſerũt, præcipere ſolere, vt multitudinem locorum nobis comparêmus, in quibus memorabilium occurrentium ideæ diſponantur, ibi nimirùm perpetuò manſuræ; & ne iſtæ vnquam è memoria excidant, oportere nos qualibet hebdomade, ſingulo ſaltem menſe, eas omnes mente luſtrare, & recolligere. Qui quidem labor extremus eſt, ingenijque acumen non hæbetare non poteſt. Reſpondeo, me quoq; idem cum illis in hac re iuxtà ſentire, videlicet, quod ſi quis omnia

quæ

quæ recordari cupit, per locos & ideas reponere conêtur, semel quolibet mense repetenda, opus aggreditur, quod non solùm tædio afficiet obtusissimi ingenij homines, multò magis ingeniosos, qui nil æquè fastidiunt, atque frequentē de prius cognitis meditationem: sed quod minimè necessarium existit, cùm memorabilium in libris inscriptio longè facilior, ac certior est, & in vsum promptior. Ego itaque reminiscendi rationem instituo, ad res nuper auditas, lectas, vel excogitatas, tantisper modò apprehendendas, dùm liceat transcribere, quia menti huic oneri succumbenti occurrendum est, quàm citò possumus. Quin & ipsam quoque memoriæ naturalis potentiam, eâ reminiscendi ratione, quam hoc libro propono, valdè

cor-

corroborari certum est. Mens enim reuocationibus sententiarum è memoria lapsarum, idque per vnum aut alterum sæpè vocabulũ indies assuefacta, plùs quàm inexpertis credibile est, in munere suo exequendo erigitur, vnde etiam ingenium magis magisque acuitur. Neque verò principiis vllis recordandi vsus sum, memoratrici facultati nociuis: sed & tibi quoque ne vtâris, summoperè cauendum moneo, ne in summam naturalis memoriæ perniciem cedat.

Deinde, multùm turbare aiunt, duas aut tres considerationes inire, in vnius ideæ repositione. Respondeo, quòd qui Latinè loquuntur, multiplicem vocabulorum constructionem obseruant, vocesq́ singulas suo casu, genere, numero,

numero, persona, tempore, sine vlla hæsitatione statim proferunt: nec tamen memoria propterea quicquam confunditur, quia in regularum Grammaticalium praxi quotidiana versantur: Simillimè, vbi regulas omnes artis Mnemonicæ exactè callêmus, molestum haud erit, ideas omnes propriis suis circumstantiis statim vestire.

Siquis porrò mihi causêtur, & dicam inscribat, quòd dialecticis reclamem, qui methodi Logicæ beneficio quippiam memoria cõprehendi asserunt, toto cœlo aberrat. Constat enim illos de sermonibus productis id tantùm dicere. Nemo autem sanæ mentis, ad negotia, dictiones, phrases, numeros, sententias singulares, memoranda, valere methodum vnquam asseruit:

asseruit: quæ tamen omnia per ideas debitè dispositas, in memoria fideliter conseruantur. Restituêtur ergò methodo sua dignitas, (quam maximam esse agnosco) At negari interim non potest, quin vel ipsa methodus continuati alicuius sermonis, oblinioni ex parte demersa, quamuis ea cryptica sit, ex ordine idearum dispositarum, in mentem revocêtur.

Sed est, inquies, negotium planè phantasticum in ideis efformandis, & nephelococcygiis condendis distineri: Ideoq; Mnemonica, quæ in istis versatur, nec ars etiam dicenda est. Quippini cedò sit ars Mnemonica prorsus phantastica, quùm solúmmodo occupatur in phantasmatis effingendis, quibus phantasia erigitur, vt vtiliùs memoriæ inseruiat,

Esse

Esse autem artem Mnemonicam, sic ostendo. Ratio & Memoria mentis facultates distinctæ sunt, licet ab inuicem non diuisæ. Ergo si ars sit ulla rationem informãdi (talis est autem Logica) quid ni & ars sit etiam informandi memoriam, qualis Mnemonica existit?

Dénique, si causam quæras, quæ me ad hanc artem diuulgandam impulit, hoc responsum habeas; me libros omnes, quotquot parare potui, de arte Mnemonica inscriptos, pertinaci diligentia perlegisse, & magno cum temporis dispendio, ne dicam summa animi fatigatione, in praxi præceptorum ab aliis traditorum aliquandiu laborasse. Verùm, cùm nonnulla impia, obscura & superflua, in illam artem admissa fu-

isse

isse perspexissem, multa item perquàm necessaria penitùs omissa, omniáque penè adeò confusa & incerta, vt vix quicquam certi haberetur quo insistendum esset, nimis optabam, artem tam præclaram, è densissimâ, qua sepulta iacuit, caligine eruere, & ab omnibus spurcitijs, quibus inquinata fuit, depurare. Hinc illam horis subcisiuis aggressus sum, amputatis que amputandis, suppletis supplendis, & singulis in ordinem reductis, in nouam iam formam conieci, & sanè (ni mihi sit mens falsa) longè meliorem. Et quoniam mihimet ipsi valdè vtilem fuisse hanc artem expertus sum, spes mihi iniecta fuit, & aliis quoque prodesse potuisse, qua spe fretus, in publicum audactèr emisi.

Atque hæc illa fuerunt, quæ in approbationem idealis reminiscentiæ dicenda habui, vndè satis liquere existimo, eiusdem principia ab intimis artis naturæq; fontibus deducta fuisse. Qui bonam habent memoriam naturalem, vsu huius artis melius carere possunt, sicut qui optima fruuntur valetudine medicinis non indigent. Cuius autem memoria in officio suo segnis & remissa est, illi admodum prodest, vt ab ineunte ætate, assidua huius artis praxi exuscitetur, & acuatur. Nemo tamen tam fœlici memoria vtitur, quæ per istam artem cultior non fiat. Nam vt omnes artes liberales naturam perficiunt, modum meliorem demonstrando quippiam agendi, quàm ipsa natura edocuit: sic & ista. Ratiocinamur

cinamur quidem à natura, sed meliùs ratiocinari docêmur arte Dialectica: Sic licet à natura accipimus quòd recordamur, at certiùs recordari discimus artis Mnemonicæ beneficio. Qualiacunque demùm ea sunt, quæ in sequentibus libellis proposui, illa omnia desiderio vtilitatis tuæ diuulgaui. Quocircà tuum erit, labores conatusq́ue meos æqui boniq́ue consulere; vti meum esse agnosco, deo in omnibus gloriam tribuere, ipsúmque tanquam omnium bonarum artium authorem, & sapientiæ fontem suspicere. Vale.

I. W.



MNEMONICAE Liber primus.

Cap. 1.

De negotijs memorandis.

MNemonica est ars reminiscendi. Reminiscendi ratio, quatenus artem coniunctam habet, duplex est: Engrapha & Agrapha.

Engrapha reminiscendi ratio est, quæ nulla manu-scriptione innititur. Estq; hæc alterâ certior & expeditior, ideóque quoad licet, semper adhibenda. In huius autem tractatione, non est cur de inscriptione memorandorum in pugillaribus & libellis dicam, aut minima quæque secter, sed tantùm quæ potiora videbuntur. Primùm igitur de negotiis memorandis agam, déinde de his quæ ad disciplinam spectant.

De negotiis memorandis, præter illa quæ in communi vſu ſunt, vnicum hoc præceptum adijciam. In libro faſtorum, cuius paginæ ſunt alternatim candidæ, potiſsimum cuiuſque diei negotium nec non eorum nomina, quibúſcum domi aut foràſve de re aliqua ſeria loquutus es, iuxta diem proprium veſperì inſcribantur. Hoc etenim, licet in præſens tempus nihil cõducat, At in futurum, ad diſquiſitionem ſummarum in negotio aliquo difficultatum ſæpiſſimè valet. Fac enim, vt poſt dies aliquot, vel trimeſtre ſpacium, aut etiam poſt anni integri pluriúmue effluxum, quæſtio oriatur, de ipſiſsimo die, quo hoc vel illud contigerit, cuius cognitionem exactã habere tuâ plurimùm refert. Hîc diei oblitus es, probè autem meminiſti eodem ipſo die contigiſſe quo oues totondiſti, vel poſtridie eius diei qua tales amici tecum pranſi ſunt. Hoc cognito, faſtorum libellus ipſiſsimum tibi diem è veſtigio exhibebit. Quinetiam ex nominibus hominum, quibuſcum eôdem die loquutus fueras, plura forſan erues, cauſæ in quæſtione

ſcitu

scitu necessaria. Atque hæc breuiter de negotiis reminiscendis.

Cap. 2.

De dictionibus recordandis.

MEmorandorum ad disciplinam siue bonarum literarum studia pertinentium quatuor sunt species: Dictiones, & phrases: sententiæ & sermones.

Dictio Notatione, vell Constructione memoratur. Notatio est Propria vel Impropria. Notatio propria est Dictionis apta interpretatio. Vt: pellex a παλλακις, παλλακις autem a פלגש quæ vox composita est a פלג & איש vt dicta sit a diuisione viri ab vxore, siue mauis, a פלג & אשה vxor, quia pellex est quasi diuisa vxor. Μακαριος beatus, quasi Μηκηριος immortalis, Filii & filiæ απο της φιλιας propter amorem quem inter coniuges conciliant. Vir a Viribus quibus pollet. *Lactantius.* Mulier, quasi mollior propter sexus teneritudinem. *Varro.* Puer, a puritate corporis. *Isidorus.* Panis a Pane, qui Pan (Olao Magno testante) artem pistoriam reperit. Popa e-

pulonem & victimarium significans, a popina. Lucus a lucendo: Nam propriè significat arboretum idolo sacratum, facibus prælucens. **Bable of Babell. A souldier of Soldurius, A sworne brother** Cæs. Com. lib. 3. vel si magis placet, quasi sole duratus. **Church** antiquitùs **Kyrke** of κυριακη, quasi ἡ κυριακη οικια. **Neighbor** quasi **nigh thy boure. Gospell** quasi **gods spell. Partridge of parting the ridges**, quia perdices plerumque in agrorum sulcis aggregantur.

Notatio impropria est dictionis coacta interpretatio. Vt: Μεθυ ebrietas παρα το μετα θυειν, quia post sacrificia indulgebant genio. Καπνος fumus, quasi ἡ τε καιομενε τινος πνοη. Δακρυ lachryma, απο τε δαζειν το κηρ, sicut lachrymæ a lacerando quippe quæ animæ laceratione cientur, & **Teares** Anglicè **of tearing the heart.** Monimentum, quasi monens mentem. Domus ex do & mus. **Cottage** quasi **a cate for age. Beere** quasi **bee-here. Gossip** quasi **gooe sippe. Simony** quasi **see mony.** Imprimit enim dictionem memoriæ notatio quælibet, quamuis

uis

nis coacta & abſurda; Imò verò quò longiùs petitur, eò penitiùs inhæret, propter notationis abſurditatem.

Conſtructione vocabulum mente reponitur, quando cum aliis vocabulis in vna ſententia aptè conſtruitur. Quòd enim verba πτερόεντα ſiue alata Homerus appellauit, optimè conuenit, non ſolùm ob id, quod neſcit vox miſſa reuerti, verùm etiam quia verba, niſi ſententiarum pondere quaſi librentur, facile auolant. Sed vt exemplis agam: ſint iſta vocabula memoranda, [Oeſtrum, cynomyia] in vna ſententia illa includi ſic poſſunt *Vimina tibi lotio macerantur, quæ cynomyia, adeóque etiam æſtro vehementiùs pungent.*] Exemplum aliud. Hæ dictiones fac ſint recordandæ [*Vitricus, Acupedius, Illunis,*] in vnam nempe ſententiam ſic coguntur: [*Illunis licet, ſubluſtris tamen nox erat, quâ acupedius ad vitrici ædes deflecteret.*] Exemplum aliud. Vocabula reminiſcenda ſint hæc. [Aliptes, ſuccenturiatus, tympanotriba, ſtrigoſus] Ea in vna ſententia colligantur hoc modo. [Aliptes ſtrigôſus in locum tympa-

notribæ cæſi ſuccenturiatus eſt] vtile eſt autem hoc exerciti genus, ad voces ignotas, obſoletas, peregrinas, parumve vſitatas, quæ nobis inter legendum forſan occurrerint, quaſi ſiſtendas, vt notiores fiant.

Præterea ex dictionum cùm notatione, tùm conſtructione, permagnum tyronibus commodum orietur, in ediſcendis linguæ alicuius primitiuis, (Grecæ purà vel Hebrææ) ſi ſequentem rationem inire velint. Videlicet; Diuidatur pagina quæque libri chartacei, quo primitiua inſcribere parant, in tres columnas, quarum tertia cæteris duabus ſit latior. Prima columna primitiua recipiat, ſecunda eorum ſignificationes, tertia etymologias ſiue notationes. Quòd ſi dictio aliqua occurrat, quæ notationem neq; propriam neque impropriam cõfeſtim offert, ne tempus conterant notationem perplexiùs indagando, ſed vacuum in tertia columna ſpacium relinquentes, tranſeant ad dictionem proximam. Dictiones autem in qualibet pagina occurrentes, quæ notationem reſpuunt, niſi iam notæ fuerint, in vnam

nam sententiam colligantur, vt quæ notatione tenere nequeunt, possint constructione. Atque hæc eadem sententia in calce paginæ adscribenda est. Exemplum dabo in duodecim primis primitiuis Græcæ linguæ, quæ in catalogo Ioannis Surcini concurrunt hoc ordine,

ἀάζω	*Exhalo*	A sonitu fictum, quem inter exhalandum edimus. Scap.
ἀάσκω	*Lædo*	Ab ἀασθῶ aoristo primo passiuo Ionico verbi ἀάω lædo.
ἀβάσκανος	*Beneuolus.*	Ex a priuandi particula, & βάσκανος inuidus.
ἀβολέω	*Obuius fio*	Quasi ἀντιβολέω.
ἄβρα	*Ancilla*	Harum dictionum ad inuicem manifesta est relatio.
ἄβρος	*Delicatulus*	
ἀβύρβηλος	*Insanus*	

ἄγαθις	*Glomus.*	———
ἀγαθός	*Bonus*	Quasi αγανθειος vel quasi αγα-στος admirandus. Agast.
ἄγαν	*Nimis*	Again & again.
ἀγα-πάω	*Diligo*	———
ἄγγα-ροι	*Regum Nuntii.*	Angeri .i. Afflictores. Nam equos calcaribus pessimè affligunt. Propriè enim vox αγγαροι eiusmodi nuntios significat, qui literas regias a statione in stationem portãt, ab aliis deinde perferendas. Angry.

Tì

Τὶ τῷ ἀβυρβήλῳ ἀγαθῶν ἀγαθίδες?

Quid fatuo bonorum cumulus? Pro. 17. 16.

Vides hîc, duas dictiones nullam notationem adscriptam habentes, vna sententia conclusas esse: verbum autem ἀγαπάω, quod item notatione caret, familiarius est, quàm vt constructione indigeat. Porrò meditandi ratio in hisce ediscendis huiusmodi existit. Primò, media columna regulâ planâ vel digito obtegatur, vt dictiones primæ ac tertiæ colũnæ (quæ primitiua eorumq; notationes exhibent) vtrinque emineant: quibus ad inuicem collatis, facile est, significationes sub regulâ latentes eruere. Deinde prima columna eodem modo contegatur, vt ex collatione significationis & notationis, quæ visui patent, primitiua ipsa sub digito vel regulâ occultata producantur. Atque hoc modo si vel vnicam pagiuulam singulo die absoluerint (quod vix vnius horæ opus est) paucis diebus, vniuersa totius linguæ primitiua, absque vllo labore, imò ve-

rò etiam cum delectatione quadam mente consignabunt. Est & illud insuper notandum, quòd si in notationibus explorandis alios sibi comites adsciscant, primitiua edíscendi pariter cupidos, eâ ratione exercitium istoc multò sibi iucundius ac facilius reddent.

Cap. 3.
De phrasibus memorandis.

PHrasis memoriæ mandatur, cùm subiecto alicui apto accommodatur. Vt si phrasis ista [*A sordidis affectibus quàm longissimè semotus*] recordanda esset, militi Christiano, tanquã subiecto idoneo accommodo, in hunc modum: [*Oportet militem Christianum ab omnibus impudicis, sordidisque animi affectibus quàm longissimè semotum esse.*]

Exemplum aliud. [*Effæminata mollitie euirari.*] Sardanapalo Assyriorum regi accommodatur sic: [*Sardapanapalus effæminata mollitie, & luxu quasi euiratus, vitam degit planè muliebrem.*]

Exemplum aliud. [*Vir locupleti eruditionis

ditionis supellectile instructus. Item. Ab aliis palmam praeripere.] Applicatio. [*Inclitus rex noster Iacobus, locupleti politioris literaturae, variaeque eruditionis supellectili sic est instructus, vt omnibus totius orbis principibus, suo quasi iure palmam praeripiat.*]

Atque hæc phrases applicandi ratio, ad omnes cuiusque linguæ elegantias consequendas, præcipuum vsum habet. Et plurimùm optandum esset, vt in scholis publicis frequentiori in vsu haberetur. Solent, concedo, ludimagistri discipulis præcipere, è lectionibus suis phrases, verborumq; elegantias colligere, collectásque in libellis, non chartis laceris, inscribere. Hoc quidem aliquid est: sed si illos porrò vrgerent, singulam phrasin à se excerptam, subiecto sibi noto ac familiari applicare, vberrimum sanè prouentum in bonis literis hac ratione consequentur. Nam subiecta phrases sibi sic accommodatas, in memoria faciunt altiùs insidere, diutiúsque inhærere.

Cap. 4.
De sententiis reminiscendis.

SEntentia reminiscenda vsum habet frequentem, vel rarum. Sententiæ, quarum vsus frequens est, (quippe quas propter eximiam illârum elegantiam, seriam grauitatē, concisam breuitatem, saliúmue venustatem, cupimus non chartâ modò sed etiam corde inscribere) in enchiridio scribendæ sunt, & quidem quæ sunt eiusdem generis, simul & per se: Epigrammata scilicet per se, anagrammata per se, prouerbia, epitaphia, facetiæ, ænigmata, notationes, &c. omnia per se. Enchiridion autem istud, quo res & sententias illustriores inscripsimus, semper nobiscum circumferre oportet,(vndè VADE MECVM dici potest) vt in illo horis otiosis etiam cum foris sumus meditēmur cum tēpus aliàs transigendi facultas non conceditur. Adeóque fiet, vt tempus (quo nihil pretiosius) sine fructu nunquam præteribit. Atque hoc modo multò meliùs, tutiùs, citiùs, certiùs, vtiliùs,

vtiliùs, et iucundiùs, memorabilia in mentem reuocabimus, quàm per mẽstruam illam repetitionem, à quibusdam memoriographis præscriptam, quæ tamen sine longa hæsitatione, summa ingenii fatigatione, & maxima memoratiuæ facultatis pernicie perfici non potest, vt taceam idearum quarundam, ex tanto temporis interiecti spacio, perpetuam disparentiam.

Sententia, cuius vsus est rarior, vel interpretatio loci alicuius libri clasici existit, vel communis obseruatio. [*Per libros classicos eos intelligo, qui in qualibet professione, communi professorum consensu authentici habentur: Quales sunt inter Theologos Hagiographa; inter Iurisprudentes, pandecta & statuta; inter Medicos, Hippocratis, Galeni, vel Paracelsi opera; inter Mathematicos, Euclidis elementa, &c.*)

Si interpretatio loci alicuius libri clasici memoranda occurrat, ea in margine libri, iuxta locum cuius interpretatio existit, stenographicè adscribenda est: Ni magis placeat, ad huiusmodi commentationes recipiendas, folia chartacea textui alternatim in-

suere.

ſuere. Aut (quod melius adhûc eſſe videtur) folia aliquot chartæ candidæ ad finem libri atterere, in quibus interpretationes inſcribantur. Facilè enim interpretatio quæque textui ſuo reconciliatur, ex eodem numero vtrique præpoſſio.

Si communis obſeruatio reponenda ſit, illa in epitomen redacta, (niſi cùm ipſiſſima authoris verba tenere expedit) in volumine locorum communium, ſub proprio capite vel titulo ſcribenda eſt: vt indè, quoties opus poſtulat, directione indicis promptè & expeditè hauriatur.

Cap. 5.

De ſermonibus recordandis.

AD ſermones reminiſcendos demùm veniamus. Sermo verò (vti a me hîc accipitur) eſt tractatus quilibet oblõgior, è multis ſentẽtiis homogeneis conflatus. Cuiuſmodi ſunt cõciones, orationes, declamationes, libri alicuius capita, vel ſectiones, quælibet dénique cuiuſlibet tractatus portiones oblongiores. Sermones autem memorandi, vel ab aliis ſunt, vel a nobis

bis contexti. Rursum sermones aliorum vel iam libris extant, vel nudè proferuntur.

Si sermones reminiscendi libris iam extent, sufficit illorum titulos, in volumine communium locorum capiti suo asserere: vt indè admonearis, quoto capite, vel qua parte libri, hoc vel illud argumentum fusiùs tractatur. Exempli gratia. In libro primo institutionum Caluini, & capite decimo tertio, variis rationibus probatur, [*In vnica dei essentia, tres personas contineri.*] Quem quidem tractatum transcribere, quamuis in epitomen redactum, molestum nimis esset. Præstat igitur sub titulo [*De trinitate personarum,*] inter alias communes obseruationes, eòdem pertinentes, hæc solùmmodo verba inscribere. [*In vnica dei essentia, tres personas contineri.* Cal. instit. lib. 1. Cap. 13.] Hac enim inscriptione, ad illum Caluini locum, quotiescunque placet, dirigêre.

Si sermo, quem recordari cupis, nudè modò pronunciatur, oportet Stenographicè, si possis, calamo excerpere; si nequeas Stenographicè, tùm aliàs

aliàs, eâ qua potes celeritate. Et siquādo in scriptione rejiciâris, propter nimiam linguæ loquentis volubilitatē, sufficit vocabula tantùm scribere cuique sententiæ essentialia, (qualia plerunque sunt substantiua & verba) relictis spaciis quibus reliqua vocabula leuioris ponderis recipiantur, quæ immediatè à sermone finito supplēda sūt.

Sermones à nobis contexti, quò meliùs memoria consignentur, quatuor attendenda sunt: Methodus, scriptio, Signatio & Meditatio. Methodus talis esse debet, vt totius sermonis singulæ partes, ipsarúmque partium singulæ sententiæ prout sunt naturâ sua clariores, præcedant: Hoc est, vt vnumquodque præponatur, quátenus plus lucis ad sequentia intelligenda secum adfert. Namque ista methodus, ad memoriam & loquentis & audientium subleuandam maximè valet. In sermone enim methodicè disposito, quælibet sententia sequentem trahit, haud secùs atque in catena aurea, nexile vnum tractatum aliud item protrahit: vnde methodus catena memoriæ nuncupatur. Esto itaque singula sententia priori sic alligata, vt ab ipsa eti-

am quoad fieri poteſt, trahi videatur.

In ſcriptione ſermonis primùm requiritur vt lineæ ipſæ non ſint admodum latæ, quin ſpacium in margine ſatis amplum relinquatur. Proximè autem vt totus ſermo in paragraphos ſcitè diſtinguatur. Mens enim diſtincta meliùs appræhendit, quàm confuſa. Déinde, poſtquam ſermonem ſcripſiſti, quem breui habiturus es, vtcunque ſit maculis ac interlineationibus multùm conſperſus ac fœ latus, ne tamen rurſũ exſcribas, ni tantũ tẽporis exſcribendo contereres, quantũ ad ediſcendũ ſufficeret. Tum verò ipſæ maculæ atque interlineationes, ſententias ſic obliteratas, et interlitas, ſuâ a reliquis diſparilitate, aliùs imprimunt, quàm ſi nullæ ibi lituræ eſſent. Eſt hoc præterea animaduertendum, quòd tametſi ſermonem integrum, vel breues ſaltem eiuſdem notas priùs ſcribere expediat, quàm publicè proferimus, nullátenus tamen in ſuggeſtum vel roſtra ſumi debẽt, niſi memoria languida ſit, & imbecillis. Mens ſiquidem in abſentia notarum meliùs ſe colligit, viribuſq; vnitis paratior ad dicendum fit.

Sig-

Signatio est, qua sententiæ cuiusque dictio præcipua, vna aut item altera in margine iuxtà signatur, quæ simul atque cernitur (cernitur autem in leuissimo oculi coniectu) integram sententiam in mẽtem reducit. Vt si hæc subsequens (de resurrectione) tractatiuncula memoriter ediscenda sit: eius nimirum sententias vocabulis (quorum intuitu ipsæ ocyùs agnoscuntur) in margine consignatis, ad hunc modum distinguo.

Resurrectionem fore. Resurrectionẽ mortuorum in die nouissimo verè futuram, istis rationibus confirmatur.

1 *Quod imperfectum est.* Primò, quod imperfectum est, perfectæ fœlicitatis, quoad speciem suam minimè capax existit: Anima autem à corpore separata, est homo imperfectus, nec propterea perfectæ fœlicitais capax. Ergo resurrectio corporis necessaria est, vt eiusdem cum anima coniunctione perfectam fœlicitatẽ electi consequantur. *Quomodo enim fœlices* (inquit *Tertullian.* Tertullianus) *si ex parte perituri?*

2 Secundò, si corpus iussu Christi

parti-

participari debet sigillis salutis, æquè ac anima, tùm salutis æternæ æquè particeps erit, atque ipsa anima. Sed corpus secundum constitutionem Christi, participare debet sigilla salutis: (corpus enim aqua baptismatis perluitur, panéque & vino in cœna dominica reficitur) ergo &c. *Sigilla salutis.*

Tertiò, quemadmodum semina in terram coniecta moriuntur & denuò reuiuiscunt: Sic corpora hominum in humo conditorum, & in elementa dissoluta ac corrupta, Christus viuifica sua virtute die vltimo suscitabit. Hinc Paulus 1.Cor. 15. 35. cum stultum appellat, qui nequit ex viuificatione granorum in tellure sepultorum resurrectionem mortuorum concludere. Vnde Augustinus: Qui grana seminum mortua et putrefacta viuificat, per quæ in hoc seculo viuas, multò magis teipsum excitabit, vt viuas in æternum. 3 *Quemadmodum semina* *1 Cor. 15. 35.* *August.*

Quartò, resurrectionis indicium est omnium rerum vicissitudo. Sicut enim nocem dies, somnus vigiliæ, 4 *Vicissitudo rerum.*

gilliæ,

Vicissitudo rerum. giliæ, laborem requies, & hyemem æstas sequuntur: Ita mortem vita, & sepulturam resurrectio consequentur. Hûc pertinet, quod Tertullianus lib. de resurrectione carnis loquitur. *Tertullian* Dies (inquit) moritur in noctem, & tamen rursum cum suo cultu vniuerso orbi reuiuiscit.

5 *Christus caput.* Quintò, è resurrectione Christi apertissimè comprobatur. Etenim cùm Christus, qui caput est nostrum, iam resurrexit, argumento est & nos quoque, qui membra ipsius sumus, post mortem reuicturos. Vbi enim caput, illûc & membra aggregabuntur. Atque hoc quidem respectu Christus primitiæ mortuorum vocatur. 1. Cor 15.20. *1 Cor. 15. 20.*

6 *Resurrectio aliorum.* Sextò, aliorum particularis resurrectio ad vitam temporaneã in hoc seculo, signum fuit generalis resurrectionis ad vitam æternam, quæ sub fine seculi futura est. *Hi autem post obitum reuixerunt.* Nempe,

1. Filius viduæ Sareptanæ. 1 Reg. 18.22.

2. Filius

2. Filius Sunamitidis. 2 Reg. 4. 33.
3. Homo quidam ad contactum ossium Elishæ. 2. Reg. 13. 21.
4. Filius viduæ Naimensis. Luc. 7. 15.
5. Filia Iairi. Luc. 8. 41
6. Lazarus. Ioh. 11. 43.
7. Tabitha. Act. 9. 40.
8. Eutichus Act. 20. 10.

Qui omnes licet à mortuis excitati iterum occubuerunt, Attamen Matth. 27. 52. sanctorum quorundam fit mentio, qui post resurrectionem Christi è monumentis egressi sunt, vt vnà cum Christo (per virtutem cuius resurrectionis resuscitabantur) ad vitam æternam transmigrarent. Non enim existimandum est, eos iterum interijsse. *Qui licet.* *Sancti è monumentis.*

Denique scripturarum loca, quæ ad confirmationem huius articuli fidei produci possunt, innumera planè existunt. Quorum paucula quædam proferre, non pigebit. 7 *Loca scripturarum.*

Iob 19. 25. Equidem ego noui redemptorem meum viuere: & posteriorem super puluerem resurrecturū. 26. Et postquam vermes confode- 1 *Iob 19. 25*

foderint istud, euigilante me, tum carne mea me visurum esse deum. 27. Idem qui sum, ac non alienus visurus sum mihi, & oculi mei aspecturi.

2 Isa. 26. 19 Isai. 26. 19. Reuiuiscunt tui mortui, cadauera quoque mea resurgunt: Expergiscimini (inquit) & cantate, qui inhabitatis puluerem. Nam ros olerum ros tuus est, postquam in terram experios vitæ deiecisti.

3 Eze. 37 5 Ezech. 37. 5. Sic ait Dominus Iehoua ossibus istis: Ecce ego inducturus sum in vos spiritum, vt viuatis. 6. Nam addam vobis neruos, & obducam vobis carnem, & superindam vobis cutem, ponamq; in vobis spiritum & viuetis, vt cognoscatis me esse Iehouam. Verũ id quidem est loqui Prophetas Isaiam & Ezechielem de captiuitate populi reducenda: eâdem tamen operâ resurrectionem haud obscurè confirmant. Tertullian *Necesse enim est*, (ait Tertullianus) *esse prius sibi, quod alij configuretur. De vacuo enim similitudo non cõpetit, de nullo parabola non con-*

cõuenit, de nihilo metaphora & allegoria non est. 4

Dan. 12. 2. Multi ex dormientibus in puluerulenta terra expergiscentur: hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemptum æternum. *Dan.* 12.2.

5
Iohan. 5. 28. Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius: Et prodibunt qui bona fecerint, in resurrectionẽ vitæ, qui verò mala egerint, in resurrectionem condemnationis. *Ioh.* 5.28

6
1. Cor. 15. Toto capite, Paulus agit de resurrectione corporis, multisque rationibus eandem stabilit. Sed non vlteriùs vrgebo. Restat autem vt communi atheorum argumento satisfaciam, quo se contra hanc veritatem contumaciter obfirmant. 1. *Cor.* 15.

Ob. Resolutiones cadauerum.

Obijciunt enim multorum corpora in vno eodemque monumento sæpè sepeliri, quorum propterea pulueres miscentur; item aliorum corpora in cineres esse combusta; quorundam itidem cadauera mari submersa à piscibus deuorari, illos

pisces

pisces forsan ab hominibus, eos rursum homines à bestiis & coruis; esse denique in quibusdam regionibus homines, qui humanis vescuntur carnibus, vnde substantia vnius necessariò vertitur in substantiā alterius. Quî igitur est possibile, vt suum cuique corpus proprium & integrum restituatur?

Resp. Supra captum. Respondeo, resurrectionem opus esse supra captum humanum, cuius certam rationem assignare non magis possumus, quàm creationis mundi. Vtcunque igitur illa superiùs recitata, nobis videntur factu impossibilia, deo tamen omnia sunt verè possibilia. *Quæris* (ait *Tertullian.* Tertullianus in Apoc.) *quomodo dissoluta materia exhiberi potest? Respondeo, qui non eras, factus es: & cùm iterum non eris, fies.*

Alchymista. Præterea, videmus quòd peritus alchymista, ex eadem massa aurum, argentum, orichalcum, arte spagirica seperatim & per se extrahit: An non potest ergo deus ab elementis, omnium corpora separatim educere, quotcunque alterationes subierunt?

runt?

runt? Corpora enim mortuorum mutantur ſolum, in nihilum nunquam rediguntur. Si bene conſideres reſurrectionis authorem deum eſſe omnipotentem, nullus locus dubitationi relictus erit.

Deus enim lucem è tenebris, omnia è nihilo, potentiam ab infirmitate, gratiam ex peccato eduxit, beatamque nobis vitam è maledicta ſaluatoris morte conciliauit; Et erit illi quippiam impoſſibile? Impoſſibile. *Lux è tenebris.*

Itaque concludo, quòd vnuſquiſque in reſurrectione finali arcanam ſui corporis portionem habiturus ſit, ex qua per diuinæ omnipotentiæ operationem corpus integrum fiat, homo perfectus vt ſit. Qui enim mulierem è coſta viri produxit & arbuſculam è grano ſinapi prodire facit, poteſt is, è minutiſſima corporis noſtri portione integrum componere. Sicut enim in ſemine plantarum arcanum quoddam ineſt, quo vigorantur indies, & creſcunt: Ita cuiuſque corporis humani arcanum quoddam exiſtit, ex quo *Concluſio.* *Arcanum.* *E coſta.* *Sicut in ſemine plantarum.*

D corpus

corpus dissolutum rursus fit. Illud autem (vti sentit Thomas Aquinas) suum cuiusque esse primigenium, quod cuique in resurrectione restitutũ in instanti dilatabitur, sicut costa Adami in creatione mulieris, & panes Elizæi & Christi, quibus tot homines saturabantur. Nam quod natura in longo temporis interuallo producit, id poterit deus efficere in instanti.

Atque hæc de Signatione: ad Meditationem veniamus.

Meditatio in sermonibus ediscendis canones sequentes habet.

Can. 1. Postquam integrum sermonem in paragraphos scitè digestum perscripsisti; dictionesque sententiarum præcipuas in margine signasti; ad meditationem te accingas, experiendo, num possis singulas sententias, suo ordine ex nudo notarum marginalium intuitu, repetere. Nec est, quòd de singulis verbis sis sollicitus, modò sensum accuratè teneas. Animus enim indignè fert huiusmodi seruitutem, qua ad singula concepta ver-

ba astringitur: & verissimum est illud Horatianum; quod i,

Rem benè præuisam verba haud inuita sequentur.

Quòd si in hoc negotio vspiam hæsites, tum sententiam (quam dictio in margine signata non producit) perlege, non minori adhibita mentis intentione, quàm si nunquam esses eandem relecturus. Atque hac ratione si in meditatione tua progressus fueris, successum opinione fœliciorem ausim polliceri. Nam si sermoni ediscendo notas marginales non adscripseris, ægrè promouebere, & insignem in meditatione molestiam persentisces: Per eas autem adscriptas, magna cum celeritate, ne dicam iucunditate, sententias in memoria imprimes. Id quod in prædicta (si placet) tractatiuncula experiri quęas.

Cap. II. Modus meditandi est per partes ediscere, id est; primam sectionem memoriæ committere primò, secundam secundò, tertiam tertiò, cæteràsque deinceps suo ordine. Vbi verò cunctas sectiones sigillatim percurrimus, vniuersus sermo, obseruata me-

thodo, repetendus est. Suadet etiam Quintilianus, vt modica voce, & tacito quodam murmure ediscamus, vt duplici motu memoria iuuetur & dicendi & audiendi. Hoc tamen consilium illis solùm competere videtur, quibus mens est adeò fluxa & vaga, vt ni ita coerceatur, statim excurrat: aliòqui, quibus mens stabilis est, & firma, ratio certè expeditior est, & ad imprimendas notiones fortior, tacitè ediscere.

Can. III. Præterea quoniam vehemens ac intensa mentis applicatio in meditationibus requiritur, vndè spiritus multùm euacuantur, cauendum est, ne diutiùs mediteris quàm sanitati respondeat, ne præ nimiâ mentis intensione spiritus diffluant. Et quia exiguum tempus meditationi assignas, caue ne vel momentū illius temporis disperdas: verùm cùm necesse sit vt mediteris, ne tibi sit tædio, sed faxis vt libeat, quod sit necesse.

Can. IV. Horæ meditationi aptissimæ sunt cuiusque diei prima & vltima, immeditatè scilicet à somno, & ante somnum. Prima autem de sermône

mône aliquo meditatio ſit veſpertina, à cœna interiecta horâ aut circiter, bis aut ter relegendo, quæ poſtridiè memoriter proferenda ſunt. Quâ finita meditatione lectus confeſtim petendus eſt, vt poſt ſerotinam illam meditationem, mens nuſpiam euocata, ſuper eandem quaſi quieſcat, atque ſe reponat. Item quàm primùm ſomnum excuſſeris, teque parateris, priuſquam alia ſtudia aggrederis, ea quæ veſperi meditatus fuiſti, fac manè diligenter recolas. Parùm enim prodeſt, ante ſomnum meditari, niſi itidem poſt ſomnum rumines.

Can. V. Porrò, vel maximè cauendum eſt, omnibus publicè dicturis (præſertim verbi miniſtris) ne res indigeſtas proferant, ſed meditatione ſatis coctas, ne coquis ſimiles ſint, qui optimas carnes in macellis emunt, eas verò ad menſam crudas & ſemicoctas mittunt. Siquis enim in ſuggeſtum vel roſtra priùs conſcendat, quàm ſit in ſermone paratus, timidus redditur, vitaleſque ſpiritus (qui quidem ſunt rationis lumina) ad cor præ metu retrahuntur, vndè longè ineptior eſt ad di-

cendum quàm antè fuit: Qui verò illa, quæ dicenda habet, animo penitus infixerit, intrepidus ad opus se accingit, chartámque negligit.

Can. VI. Postremò, in concionibus sacris meditandis, hoc peculiare est: vt doctrinas generaliores nobismet ipsis applicêmus, confitendo, petendo, deprecando, imprecando, intercedendo, gratias agendo, laudésve deo tribuendo, prout ab iis doctrinis occasio datur. Sic etenim non solùm omnia meliùs reminiscêmur, sed & conscientiam nostram ædificabimus: Imò verò, qui frequenti inuocatione vtitur, eò demùm perducetur, vt cum diuinæ gratiæ sensu, spiritúsque euidentia loquatur, quod sanè ornamentum est concionatoris longè præstantissimum.

Finis libri primi.



MNEMONICAE
Lber ſecundus.

Cap. 1.
De memoratione agrapha.

HActenus de ratione reminiſcendi engrapha: Agrapha ſequitur. Agrapha reminiſcendi ratio eſt, quæ ſine manu-ſcriptione perficitur. Atque hæc tum demùm ineunda eſt, cùm chartæ, atramenti, pugillariúmue ſubſidio deſtituimur, vel obſtante aliquo præpedimento, à libero illorum vſu præcludimur. Duabus autem operationibus abſoluitur: Repoſitione, & Depoſitione.

Repoſitio eſt, qua memoranda in memoria reponuntur. Non eſt autem hîc expectandum, vt ipſiſsima cuiuſque ſententiæ verba hoc modo aſſequâmur, ſed vt ſenſum tantúmmodo

illius generalem animo teneamus. Quoties verò memoranda animo reponere conâmur, danda est in primis opera, cùm vt sinistræ omnes cogitationes obliuioni intereà tradantur, (est enim obliuio memoriæ tale principium, quale est priuatio generationis) tùm autem, vt memoranda perfectè intelligas. (Prompta siquidem recordatio, à perfecta rerum memorandarum intellectione, magna ex parte prouenit.) Quin te ergò inter reponendum succinctè colligas, virésque imaginationis tuæ sic vnias, vt quæ recordanda occurrunt, in memoria quasi exarare possis & incidere. Plumbum enim, quoniam perstat, characterem procusum recipit, argentum viuum, quòd fluidum est, renuit: simillimè, cui mens tam fluxa & inconstans est, vt in nouas & alienas cogitationes semper rapiatur, omninò abest, fructum vt vllum ex auditis capiat. Verúntamen sermonis auditi methodum præcipuè obseruabis, sedulò perpendendo quodnam sit eius subjectum generale: Déinde, quæ sunt partes maiores, quibus etiam argumentis

gumentis Logicis pars quæque tra-
ctatur. Nam si sermonis methodus perfecta sit, plurimùm certè ad integri recordationem conducet: sin verò absq; vllo ordine sermo concinnêtur, sitque hians, & ieiunus, hæterogenea multa vi intorta admittẽs, homogenea rejiciens, memoria tamen firma vel ex obseruationum absurditate, rudique totius artificio eundem appræhendet.

Depositio est, qua memoriæ priùs commissa repetuntur, & à memoria vbi transcripta, vel transacta fuerint, deponuntur. Ea quàm primùm copia datur, absoluenda est: Die nimirum reposita, si non citiùs, saltem ante somnum, noctû reposita immediatè à somno deponenda sunt: vt ne mens huic oneri diutiùs succumbat, quàm par est, néue negligentiùs reposita è memoria excidant. Literæ enim reminiscendorum custodes sunt longè fidelissimæ. Quòd si in depositione vnquam contigerit, vt memoranda vlla malè reposita dispareant, Tum clausis oculis ne animus externo aliquo obiecto diuertatur, periculum facere

expediet, numnam solerti indagatione in mentē reuocare valeamus. Quæ quidem operatio Reuocatio dicenda est.

Reuocatio etenim est, quâ regularum quarundam ductu, memoranda omnia disparentia inuestigamus. Denique repositorum è memoria Depositio, abstersioni scriptorum è pugillaribus cerussatis haud absimilis est. Vndè siqua sit ars obliuiscendi (vti quidam volunt) huc ea propriè referenda est. Atque hæc de agrapha memoratione generaliter præmisisse sufficiat: Ad species eiusdem descendamus.

Cap. 2.

De recordandi ratione per versus iam compositos.

AGrapha reminiscendi ratio duplex est: Poetica, & Idealis. Poetica reminiscendi ratio est, quæ vi Poeticæ dispositionis perficitur. Ea vel versibus iam compositis stabilitur, vel contemporaneis. Reminiscendi ratio per versus pridem compositos est, cùm ex repetitione versuum iam cognito-

rum

rum memoranda indagamus. Vt si cui causarum procuratori necesse fuerit, iudices in præcinctu suo forensi à comitatu in comitatum sequi; ei prodest vt ne cùm è diuersorio exiturus est, quicquam impedimentorum suorum post se relinquat, sequentes hosce versiculos repetat, quos in hunc finem ab ipso antè formatos effingito.

Scalpellum, calami, cornugraphiumque, libelli,
Charta, pugillares, capitalia, cera, sigillum,
Sic crepidæ, gladius, cultellus, pugio, bursa,
Muccinium, induciumque, monilia, penula, pecten,
Fascia cruralis cruralia, dactylotheca.

Sic operis intestini faber, qui foràs ad operandum sæpiùs accersitur, nomina armorum & ferramentorum arti suæ pertinentium in carmina scitè digerere debet, quibus animo recitatis, quæ secum capiendo sunt instrumenta, edoceatur. Sic omnia denique communia negotia, quæ cuipiam multoties agenda incumbunt, versiculis & metro

metro commodè reponi possunt, vt ijs mente repetitis, quid sibi faciendum sit, commonefiat.

Sed quosdam insuper versiculos in vsum proprium à me iam pridem cõpositos hîc libuit attexere: vt quæ mihi aliquando in rebus disponendis profuerunt, & tibi quoque (si placet) prodesse possunt. Versus sunt isti:

An? quis? quid? cuius? Cui? quò? quibus auxiliis? cur?
Quomodo? circa quid? qualis? quantũ? ex, in, & a quo?
Quamdiu? vbi? quando? quoties? quotuplex? quot? & vnde?

Hæ siquidem vigiнti duæ quæstiones his versibus comprehensæ haud aspernandam vtilitatem adferent, ad multa inuenienda, retinenda, & si obliuione absorbentur, reuocanda etiam, quæ in tractatu longiori, aut in grandi aliquo & multiplici negotio memoratu digna videbuntur. Etenim interrogationes istæ verbis quibusdam prudenter adaptatæ, omnia argumentorum Dialecticorum responsa necessariò extorquent. Quod quidem verum esse, nemo non fatebitur, qui illud in

vno

vno aliquo supposito experietur: vti è sequentibus perspicuum est.

1. An sit? *Hæc quæstio ad argumentum indefinitum referenda est.*

2. Quis author	Motus? Operis? Facti? Dicti? Scripti? Consilij?	*Hæ nimirum quæstiones causam efficientem respiciunt.*

3. Quid	est?	*Definitio.*
	Continetur?	*Adiunctum locatum.*
	Inhæret?	*Adiunctum inhærens.*
	Adhæret?	*Adiunctum adhærens.*
	Mouetur? Fit? Dictum est? Scriptum est? Deliberatū est?	*Effecta.*

4. Cuius existit? *Subiectum recipiens ad se.*

5. Cui cõparatur
- Quantitate? *Argum.*
  - *Par.*
  - *Maius.*
  - *Minus.*
- Qualitate? *Argum.*
  - *Simile.*
  - *Dissimile.*

6. Quò
- tendit? *Locus ad quem.*
- spectat hæc sentẽtia? *Testatũ*

7. Quibus auxiliis? fecerit-ne
- Solus? *Causa solitaria*
- Cũ aliis tanquam
  - principalis?
  - Aequalis?
  - Inferior?
- Cum instrumentis? *Causa instrumentalis.*

(*Efficientes secũdi modi*)

8. Cur? *Causa finalis.*

9. Quo-

9. Quomodo factum? Utrum

- Procreando? }
- Conseruando? } *Efficiētes primi modi.*
- Abolendo? }
- Labefactando? }

- Natura? }
- Consilio? }
- Necessitate? } *Efficiē-tes tertij modi.*
- Fortuna? }
- Per imprudentiā? }

10. Cica quid? *Subiectum circa quid, vel obiectum.*

11. Qualis existit? { *Forma.* *Coniugatum.* *Descriptio.* }

12. Quantum? *Adiunctū quantitatis.*
13. Ex quo fit? *Materia.*

14. In quo {
inhæret? *Subiectum adiunctorum inhærentium.*
exercetur? *Adiunctum occupatum.*
}

15. A quo distinguitur? videlicet tanquam { Diuersum? Disparatum? Relatum? Aduersum? Cõtradicens? Priuans? } *Argumenta Dissentanea.*

16. Quamdiu? *Adiunctum temporis mensurati.*

17. Vbi? *Locus, siue subiectum continens.*

18. Quando? *Adiunctum temporis designati.*

19. Quoties? *Adiunctum temporis numerati.*

20. Quotuplex? Distributio { *Ex causis. Integri in membra. Ex effectis. Generis in species. E Subiectis. Ex adiunctis.* }

21. Quot? Inductio { *Causarum. Membrorum. Effectorum. Specierum. Subiectorum. Adiunctorum.* }

22. Vnde

22\. Vnde { Venit? *Locus ex quo.*
Dicitur? *Notatio.*
Probatur? *Testimonium.*

Quotusquisque iam non videt, tristichon illud, non solum ad res è memoria prolapsas reducendum valdè conducere, sed ad noua etiam excogitanda plurimùm prodesse? Multa siquidem in re aliqua satagenda latêre nos possunt, quæ cauta tamen horum versiculorum repetitio, & prudens applicatio menti suggerent. Exempli gratia. Fac vt iurisperitus aliquis de causa subdifficili & ardua a nobis consulendus sit: Itaque ne eorum obliuio nos interim capiat, dum alloquimur, quorum meminisse vel maximè expedit, atque adeò operam ludamus, interrogationes tristicho inclusas causæ controuersæ sigillatim applicare oportet; Percontando scilicet,

1\. An talis quærela in tali curia sit disceptabilis?

2\. Quis aduersario sit à consiliis? qui testes? quis cum illo arctissimo necessitudinis vinculo coniungitur? Quis fecit, dixit, scripsit, hoc vel illud?

lui? Quis prædij contrauerſi inquilinus?

3. Quid in libello accuſatorio continetur? Quid modò putat ab ijs deliberatum eſſe?

4. Cuius dominatui prædium clientelâre ſubnectitur?

5. Cui dicæ præiudicatæ noſtra hæc affinis exiſtit?

6. Quouſque in cauſa iam progreſſum ſit? & quouſque litigij finis ſit expectandus?

7. Quibus auxilijs poſſeſsionem recuperauit?

8. Cur hoc vel illud dixit, fecit, &c.

9. Quomodo in cauſa progrediendum? quomodo talis ſit propulſanda iniuria?

10. Circa quid potisſimum contrauertitur?

11. Qualis exiſtit ſyndicorum conſcriptorum conditio?

12. Quanti conſtitit talis libelli exſcriptio? &c.

Namque iſtis ſimilibuſque quæſtiunculis propoſitis, mihi videtur aliquid ſaltem materiale ad cauſam in lite pendentem directè ſpectans prolectum

ctum iri? Ideoque non opinor pœnitebit tristichō illud memoriter ediscere, vt in studiis negotiisque subeundis fœliciùs dirigâmur.

Quòd verò primo in loco de argumento indefinito mentionem fecerim, liceat mihi bona cum lectôris venia eius rei causam paucis exponere. Etenim argumentum indefinitum (quod à Ramo prætermissum esse miror) à Dialectica rep. vt exulet & arceatur, nullam ego rationem satis firmam reperire possum. Rectiùs enim vt mihi videtur (saluo tamen meliori iudicio) argumentum absolutè consentaneum in hunc modum dirimiretur.

[*Absolutè consentaneum est Indefinitum, aut Definitum. Indefinitum est, quod indefinitè rem arguit. Vt:* Deus est. Quinta existit essentia. *Definitum est, quod definitè rem arguit. Definitum est causa & effectum.*]

Nam in hoc axiomate [*Deus est*] non asserimus deum esse hoc vel illud, sed simpliciter esse. Et cùm dicimus [esse aliquam quintam essentiam in rerum natura] non ostendimus, quas causas habet, quæ effecta, subiecta,

vel

vel adiuncta; sed indefinitè pronunciamus, Esse. Deinde argumentum indefinitum, à reliquis omnibus argumentis planè distingui, apertè constat, quippe quod peculiari quæstioni [An sit?] vsum in mentis discursu vberrimû habenti, peculiariter respondet. Sed hæc obiter.

Denique in ista reminiscendi ratione per versus pridem compositos, partes vtræque, cùm repositio, tùm depositio, eâdẽ ratione absoluuntur. Sicut enim ex repetitione versuum memoranda reponimus: ita per eorundem repetitionem eá itidem deponimus. Vnde nec Reuocandi regulis vllis hîc opus erit. Etenim cùm ipsi versiculi memoria sint penitùs infixi, nulla illorum portio latere nos potest.

Et de prima quidem reminiscendi ratione poetica, per versus scilicet antè constructos, satis sit ista dixisse: Ad reminiscendi modum per versus contemporaneos veniamus.

Cap. 3.

De repositione per versus contemporaneos.

REminiscendi ratio per versus contemporaneos est, qua memorandorũ subiecta eo ordine quo occurrunt in carmina conjiciuntur: quibus postea repetitis deponuntur. Hîc igitur primò agendum est de repositione contemporanea: Deinde etiam de depositione contemporaneè repositorum.

Repositio contemporanea est, qua sententiæ plures, per dictiones certas sibi essentiales, legibus metricis dispositas, sæpiusque repetitas, literâ cuiusque portionis primaria animo interim penitissimè infixâ, in memoria reponuntur. Exempli causa. Esto, vt in concione quadam à te audita, has præcipuè sententias obserues, mente custodiendas. Nimirum,

1. *Terra e puteo, quamuis immanis altitudinis, effossa, si super turrim excelsam sub dio exponatur, tametsi nulla herbarũ semina secum retulisse videtur, nec-*

nec quicquam ab hominbus inferatur, sua tamen sponte herbas virides emittit. Vnde probatur, cuilibet telluris parti innatam esse facultatem herbas producendi, quam deus in creatione illi infudit, dicendo: Germinet terra, &c. Gen. 1. 11.

2. *Melius est dubitare de occultis quā litigare de incertis.* Augustinus.

3. Θεοῦ γέννησις σιώπῃ τιμάσθω: μέγα σοι τὸ μάθειν ὅτι γεγέννηται. *Nazianzen.*

4. *Non peccare, dei est iustitia: Hominis iustitia est indulgentia dei.* Bern.

5. *Ad fidem & religionem magistratus cogere non potest: Ad media fidei & religionis cogere potest, ac debet.*

6. *Ridiculum est Scholasticorum delirium, nec somnijs Alcorani absimile, locum paradisi terrestris multis gradibus super terræ planiciem eleuari: Certe enim paradisus in diluvio, si non ante, devenustata fuit.* 1. R

7. *Qui bene sibi temperat in licitis, nunquam cadet in illicita.*

8. *In actionibus naturalibus, & ciuilibus, homo libertatem voluntatis adhuc habet: In actionibus autem spiritualibus*

&

& supernaturalibus morte quasi sopita iacet, donec per gratiam Christi infusam reuiuiscat.

9. In sacro baptismate opus operatum baptizatis multùm prodest: opus verò operantis nihil.

10. Missa idem prorsùs sonat, quod missio, sicut remissa quod remissio, & offensa quod offensio. Hoc autem nomen inde traxisse constat, quòd cùm patrum temporibus, qui in ecclesia primitiuam proxime sequuta floruerunt, in more positum fuit, vt post preces publicas, scripturasque lectas & expositas, sacra etiam eucharistia semper celebraretur, cui non licuit interesse fide nouitijs, non baptizatis, aut excommunicatis, qui tamen omnes precibus, concionibusque adesse permittebantur, Propterea statutum fuit vt qui sacramentum eucharistiæ non participarent, ante celebrationem cœnæ dominicæ dimitterentur, Concil. Carthag 4. can. 84. Vnde Augustinus, serm. de tempore 237. Ecce post sermonem (inquit) missa fit catechumenis, manebant fideles. Hinc manifestum est, Missam Pontificiam missæ patrum longe dissimilem esse. Nam neque sacerdotes eos dimittunt

mittunt, qui non communicant, sed ne quidem vllos ad sacramentum quandoq; admittunt.

11. Ephes. 5. 14. Quapropter dicit: Excitâre qui dormis, & surge à mortuis, et illucescet tibi Chr. *Prima clausula huius versus* [Quapropter dicit] *innuere videtur,* Paulum *hanc sententiam propria authoritate non protulisse, sed aliunde citasse: Verumenimuero cum nusquàm locorum in sacris Bibliis legitur illa sententia, verisimile est, Paulum hic Christum introducere, in ordinario ministerio Euangelij loquentem per suos, et dicentem,* Excitare qui dormis &c. *Hæc siquidem vox in cœtu fidelium quotidie personat, & omnis ministrorum labor hûc redit, vt populum à tenebris peccatorum & ignorantiæ, impiaque animi securitate auocent, vtque experrecti lucem euangelij amplectantur. Sensus igitur perinde est, ac si diceret: Quapropter, cùm impij caligine spirituali vsque adeò obcæcantur, vt turpe sit vel dicere, quæ ab illis occulte fiunt, Christus per me Paulum, reliquósque seruos suos in hunc modum alte proclamat:* Excitare qui dormis. &c.

12. Lem-

12. ***Lex est Iudex inanimatus, Iudex est lex animata.*** Arist.

Duodecim hæ sententiæ eo ordine, quo occurrunt, per dictiones cuilibet sententiæ essentiales, interim dum cõcio habetur, ab auditore in 4. versiculos sic cogi possunt.

Ex alto puteo : Melius dubitare : Ignorat
Non peccare : Fides non cogitur : Et paradisus :
Sophrosyne : Arbitrium spontans : Non est operantis :
Missa est dicta : Ad Ephes. cap. quinto : Lex animata.

Hos enim quatuor versus memoriter si teneas, (facile est autem tanto spacio contexere, & ediscere, quantum concioni debetur) sententias omnes præmissas, cùm domum redieris, exiguo labore reuocabis.

Atque hæc de poetica repositione contemporanea.

Cap. 3.

De depositione contemporaneè repositorum.

DEpositio contemporaneè repositorum est, qua poesi contemporaneâ

 raneâ

raneâ reposita repetuntur, & repetita à memoria deponuntur. Hîc si accidat, vt memorabilia vlla negligenter reposita obliuione immergantur, adhibenda est poetica Reuocatio: cuius regulæ sunt quatuor.

Reg. 1. Primò, siqua portio sententiæ, non satis fideliter reposita, in depositione disparcat: tum experiendum est, possumúsne ex numero & quantitate syllabarum, quibus portio quæsita constitit, illam ab obliuione vindicare. Namque numerum & quantitatem syllabarum scansio vel certè ostendet, vel probabiliter conjicere edocebit. Verbi gratia. In exemplo poeticæ repositionis primo, in superiori capite tradito, fac secundam portionem secundi versiculi è memoria penitùs excidisse, cuius portiones prima & tertia hæ sunt;

Non peccare: & paradisus: E quarum scansione constat portionem intermediam quæsitam ex vna syllaba breui è consona incœpta, ac duobus integris pedibus cõsistere. Quæ sola consideratio portionem latentem fortassis reuocabit.

Reg.

Reg. II. Deinde, si sic non prodeat, ad disquisitionem primæ eiusdem literæ confugiendum est: repetendo suo ordine literas alphabeti, & benè expendendo, ecquamnam mens suggeret fuisse primariam. Veram autem suggeret procul dubio, nisi repositio segnis & iners antecessit. Prima verò litera acquisita, si reliquæ latent, literis alphabeti sigillatim applicanda est: nam cùm ad illam peruenitur, quæ secunda fuit, mens ibi identidem acquiescet: Duas autem primas vocabuli celati literas si nactus fueris, reliquæ verò lateant, nullius negotij est, ope dictionarii, integrum eruere. Etenim vt in priori exẽplo insistam, quis voces à Fi inceptas, admoto digito, celeriter transcurrens, in dictionem (Fides) quæ prima fuit portionis amissæ, non statim incidet?

Reg. III. Quòd si ne sic quidem excitatur, tùm, modò sententia delitescens pars fuerit continuati alicuius sermonis, methodicè dispositi, conferendæ sunt portiones vtrinque sitæ, vt qua ratione à præcedente ad subsequentem peruentum sit, cognosca-

tur. Nam si concionis nuper auditæ, bonoque ordine compactæ, quarta & sexta obseruationes teneantur, quinta autem effluxerit, haud erit admodum difficile, ex consideratione methodi, qua à quarta ad sextam prolapsum sit, quintam quasi in via iacentem reperire.

Reg. IV. Præterea si adhuc sententia lateat, tùm per indagationem eiusdem materiæ, & formæ etiam, si necesse fuerit, operandum est. Per materiam vero sententiæ eius subiectum intelligo de quo agit: per formam verò structuram. Exempli gratia. [*Synderesis est animæ facultas naturalis, in altissima eiusdem parte posita, ad bonum mouens & à malo reclinans. Ideoque nunquam per se peccat.*] Huius sententiæ materia est Synderesis, forma est illius descriptio.

Si igitur materia sententiæ obliuione exhauriatur, tum classes locorum communium generaliores cunctanter recitandæ sunt. Nam cùm ad rectam classem peruenitur, mens illic forsan hærens sententiam prodire coget. Quemadmodum enim lepus cùm dumus sub quo recumbit, venabulo tangitur,

gitur, sua sponte confestim prosilit; Ita cùm tu in hoc mentis discursu & tanquam venatu, classem sub qua sententia quasi recumbit attigeris, integra quoque sententia aut eius saltem materia fortassis prorumpet. Classes autem generaliores hæ mihi esse videntur.

De deo in genere.
De Trinitate.
De Spiritu sancto.
De Christo.
De consilio dei,
De creatione.
De prouidentia Dei.
De Mundo.
De Tempore.
De Angelis.
De dæmonibus.
De homine in genere.
De piis hominibus.
De impiis.
De brutis animalibus.
De insensilibus.
De bonis huius vitæ.
De malis huius vitæ.
De officiis.
De peccatis.

De adiaphoris.
De Oeconomia.
De politia.
De Ecclesia in genere.
De typica Ecclesia.
De Euangelica Ecclesia.
De verbo Dei.
De Sacramentis.
De hæresibus.
De fine mundi.
De vita æterna.
De morte æterna.

Pari ratione, ad formam se subtrahentem proliciendam, repetendæ sunt dictiones formales (quæ sua nempe naturâ formam sententiæ ostendunt) hoc versiculo conclusæ. Non, quidem, aut, quanquam, ergo, velut, si, nullus, &, omnis. Nam decem has dictiones earumque synonima sententiarum plerarumque notas formales esse hinc constat.

Non

Non		Axiomatis negati.
Quidã		Axiom. particularis
Aut		Axiomatis diſiuncti.
Quãquã		Axiomatis diſcreti.
Ergo		Syllogiſmi.
Velut	nota	Similitudinis.
Si	eſt	Axiomatis connexi.
Nullus		Axiomatis generalis negati.
Et		Axiomatis copulati.
Omnis		Axiomatis generalis affirmati.

Porrò etiam, ſi materia ſententiæ repertâ forma tamen deliteat, tum materia ſententiæ locis Dialecticis pedetẽtim applicanda eſt, quærendo primùm an ſit? Deinde quænam eius ſunt cauſæ efficientes, materia, forma, finis, ſubiecta, adiuncta &c. Adeóque ſententiam quæſitam, licet in vltimo cerebelli receſſu lateat, vel Lætheo flumine altè ſubmerſa ſit, tandem erues.

Denique ſi nulla iſtarum rationum ſententia ſit reparabilis, tranſeat: Nec tamen animi deſpondebis de eiuſdem recuperatione. Nam tametſi nunc cùm quæritur deliteat, attamen ſi portio ſen-

ſententiæ verſui intertexta, eôdem aut ſequenti die legatur vſpiam vel audiatur, mirum, ni integra ſententia tibi vnà in mentem veniat.

Atque hæc de reminiſcendi ratione per verſus contemporaneos: quæ ijs præſertim competere videtur, qui & verſibus ſtruendis aſsiduè verſantur, & reminiſcendi facultate optima præditi ſunt. Hîc itaque Poeticæ memorandi rationi finis imponatur: Tranſeamus modò ad idealẽ reminiſcendi modũ, quæ vel obliuioſisſimos exuſcitat.

Finis libri ſecundi.



MNEMONICAE Liber tertius.


Cap. I. *De Repositorijs.*

IDealis reminiscendi ratio est, quæ ideis locatis innititur. Vbi primùm de repositione, deinde de depositione ideali disserendum.

Repositio idealis est, qua res memorandæ, per ideas suas certis repositorii locis dispositas, in memoria reponuntur. Sed priusquam ad modum ideas reponendi accedam, necesse est, vt seorsim agam, Primò quidem de repositorio: Deinde de Locis: Postremò de ideis.

Repositorium est ædificium fictum è quadrato lapide ad formam theatri scenici affabrè constructum, cuius forma est huiusmodi. Aedificium esto

duodecim virgas & sesquipedem longam, quinque latum, & sex altum: (computum hic sequor Anglicanum, quo tres pedes cuilibet virgæ tribuuntur). Huius tectum adæquatum sit, plagis plumbeis supra contectum, infrà autem optimo cæmento incrustatum dealbetur. Per totam insuper eius longitudinem & latitudinem proscenium marmoreum cinerei coloris, complanatum, margineque striatum extendatur, vnam virgã super fundi planiciem consurgens. Omnes item huius ædificij parietes, tàm oppositus quàm laterales duo proscenium terminantes, cupressinis asseribus transuersim iacentibus vestiantur: glutine tenaci adeò scienter coagmentatis & lænigatis, vt nè vestigia quidem vlla juncturarum appareant. Fingatur porrò totum ædificium columna marmorea septipedem crassa, parieti opposito pene contigua, nec non lacunâ tres pollices lata proscenio marmoreo incisa in duas æquales partes exactè dimidi. Dextralem & sinistralem. Sed quò melius assequaris quæ volo, en tibi ante oculos repositorii archetypus delineatus. Literæ


g
f
v
d
y
o
k
b
u
p
m

Literæ *a b* & *c d* ædificij longitudinem ostendunt: *a c*, & *b d* altitudinem. *a e* & *b f* proscenij altitudinem indigitant: *e g h f* proscenii longitudinem & latitudinem designant: *g i k h* integrum parietem oppositum terminant: *e c i g* parietem lateralem dextralem: *h k d f* lateralem finistralem limitant: *c l m d* tecti partem superiorem circumscribunt: inferior visui non obiacet: *n o* columnam parieti opposito penè contiguam indicant: *o p* lacunam proscenio incisam demonstrant.

Et tale quidem repositorium, in distantia circiter quinque pedum, à nobis quasi ante illius medium consistentibus vbi vbi erimus, mentis ante oculos statuere oportet, quoties memoranda reposituri sumus.

Atque hæc de repositorio dicta sufficiant: ad Locos veniamus.

De

Cap. 2. De Locis.

LOcus (quatenùs hîc considera-tur) est spacium in repositorio designatum, ad ideas recipiendas aptum:

Loci in quolibet repositorio duo sunt tantùm, æqualis omnino formæ ac magnitudinis; partes nimirum repositorii dimidiatæ, super proscenium constitutæ longitudine sex virgas, latitudine, & altitudine 5. virgas patentes.

Locus prior is dicitur, qui reposito-torii pars dextralis est: Posterior, quæ sinistralis. Pars autem dextralis repositorii ea appellatur, quæ nobis ante eiusdem medium consistentibus est à sinistris: Sinistralis item, quæ à dextris.

Porrò etiam in schemate superioris capitis, literæ *g i n o* parietem oppositum dextralis partis, siue primi loci repositorii ostendunt: & literæ *e g o p* illius proscenium. Sic *r q k h* parietem oppositum sinistralis partis, siue loci secundi repositorii indicant: &

urbis eius partis proscenium. Et hæc de Locis: pergamus ad ideas.

Cap. 3.
De ideis in genere.

IDea est rei memorandæ imago visibilis, valida imaginatione concepta, ad quam mens reflectens rem ipsam memorandam vnà euocat. Sicut enim literæ quò pulchriores fiunt, eò faciliùs quod scriptum est, legitur: ita quò aptiùs ideæ pro naturæ suæ exigentia formantur, eò citiùs à mente recognoscuntur. Ideóque ideis rerum mouentium motus, quietarum quies, odorem bonum aut malum exhalantium odor bonus aut malus attribuenda sunt. Idearum mouentium exempla sunt artifex in officina laborans, fœmella tripudians, arbor ventis agitata, aqua ab epistomio promanans, & similia. Ideæ quiescentes sunt gallina ouum excludens, vrsus dormiens, latro sub dumo procumbens, & eiusmodi. Ideæ sonoræ exempla sunt leo rugiens, nola clarisonans, fragor arborum, chorista cantans, venator vociferans.

ciferans. Porrò suffitui in vasculo igniario calescenti odor suauis & amœnus, gurgustio hypogæo fœtores sonticos exhalanti, odor rancidus & insalubris attribuitur. Sic ideis hominũ lætantium vultus serenitas & alacritas, ægrotantium pallor insignis ac profunda mœstitia assignari debent. Ita etiam ædificiorum, machinarum, & artificialium quorumcunque ideæ, artem ostentare debent. Sic etenim ideis pictis formarum proportio, & colorum splendor attribuuntur, scriptis literarum decor & venustas, cœlatis artificii gloria & dignitas. Denique eam limationem vnaquæque idea sibi attributam habeat, qua maximè illustris & conspicua fiat, & quæ cum eius natura præcipuè consentire videatur.

In ideis verò tractandis æquum est, vt primùm earundem communes affectiones breuiter perstringam: Deinde vt species illarum vniuersas attingam.

Communes idearũ affectiones sunt tres: Quantitas, Situs, & Color.

Cap. 4.
De idearum quantitate.

IDea respectu quantitatis suæ Æqua dicitur, Aucta, vel Attenuata.

Æqua est, qua res memoranda, nec adeò magna existens, vt loco memoriali contineri nequeat, nec tàm parua vt visum remotiùs stantis effugiat, in æqua debitáque sua magnitudine reponitur. Qualia sunt cathedra, pictura, mensa, lectus, strages lapidum, strues ligni, duo pugiles duello concertantes, & similia.

Aucta est, qua res memoranda tantilla existens, vt visum remotiùs stantis effugiat, in multitudinem augetur, quò planiùs è longè videatur. Vt, si idea sit denarius, margarita, granum sinapi, vel aranea, tantilla nimirum ista sunt, vt in loco memoriali collocata visum subterfugiant: Itaque pro vno denariolo cumulum denariorum recens procusorum, pro vna margarita multitudinem margaritarum conseruari fingo: pro granulo sinapis, aliquot sinapi modios in proscenium effusos

fusos pro idea colloco: pro vna aranea multitudinem arancarum super parietem oppositum reptantium commentor.

Attenuata est, qua res memoranda tanta existens, vt in æqua sua quantitate tàm exiguis cancellis compingi non possit, atque loci memoriales sunt, in panno cannabaceo subtili parietem oppositum loci sui contegente viuis coloribus eleganter depicta attenuatè describitur. Spacia siquidem locorum quantumuis ab inuicem disterminatorum pictura facile compræhendit. Vt si res reminiscenda sit certamen bellicum, spectaculum triumphale, venatus per saltus & nemora, aucupium, ericetum, latifundia, castra, mons, templum, aut tale quidpiam, cuius idea nisi attenuatur, in loco memoriali contineri non potest in picturam nempè in panno cannabino super parietem oppositum loci sui expanso aptè & compositè descriptam redigenda est, vt plenè contineri valeat.

Cap. 5.
De idearum situ.

CVIuslibet ideæ situs is esto, qui eidem secundum vsum communem maximè conuenit. Etenim quæ nos parieti appendere solêmus, parieti hîc quoque appendi finguntur: qualia sunt cithara, arma, speculum, pictura, verriculum, tabellæ scriptiles, & similia. Quæ parieti vulgò affigi vel infigi assueuerunt, hîc quoque parieti sunt affixa aut infixa: Vt pagina titularis libri alicuius alicâ furfuracea posti affixa, libellus clauiculis parieti adactus, vexillum sepulchrale in editiori parietis parte infixum, sicut in ædibus sacris videre est. Quæ super abacum parieti contiguum, communiter disponuntur, supra abacum similiter collocari figurantur: vt, vasa aurea, argentea, phyalæ hyalinæ, libri, merces vænales, &c. Quæ super mensam locari assolent, super mensam hîc itidem locari debent: cuiusmodi sunt epulum, nummorum aceruus, tabulæ lusoriæ, & similia. Quæ humi iacent,

vel quouis modo humi sita sunt, hîc etiam humi collocantur: vt, tritici cumulus, cunabula, scrinium, mensa, animali sine erectè stant, sedent, vel procumbunt, & eiusmodi. Quæ subter terram vsitatè locum habent, hîc quoque subter proscenium marmoreũ recondi censentur. Vtcunque enim oculos citra proscenium cõsistentis effugiant, attamen mentis oculos (qui hîc solùm exercentur) nè sic quidem latêre possunt. Huius exempla sunt tumulus effossus, puteus, cellula vinaria, aurifodina, subterranei meatus, quos tanquam sanguis in venis flumina pertranseunt, atque istiusmodi. Eadem denique ratio in reliquarum omnium situ & positione tenenda est.

Cap. 6.

De idearum coloribus.

IDea omnis in repositorio primo (quod scilicet mente primum designatur) aliquid coloris aurei sibi attributum vult, in repositorio secundo aliquid coloris argentei, in tertio coloris nigri, in quarto cyanei, in quin-

to rubri, in sexto flaui, in septimo viridis, in octauo purpurei, in nono candidi, in decimo raui. (Est autem color purpureus (vt testatur Salmutus) inter rubrum & nigrum color intermedius, qualis gariophylli est: sicut rauus duorum extremorum albi & nigri intermedia existit, qualis gruum plumis competit.) Hinc fit, quòd distinctionis ergô color aureus primi repositorii color appellatur: color argenteus secundi: niger tertij: cyaneus quarti: rubeus quinti: flauus sexti: viridis septimi: purpureus octaui: albus noni: & rauus decimi. Et si numerus repositoriorū vltra decem excreuerit, tùm iidem colores eôdem ordine, ideis repositorum sequentium, quotquot fuerint attribuendi sunt. Nēpè ergo ideæ locatæ in repositorio vndecimo aliqua saltem ex parte debent esse aureæ, in duodecimo argenteæ, in decimo tertio nigræ, in decimo quarto cynaeæ, & sic deinceps in cæteris repetitione colorum primariorum toties facta, quoties ad memoranda reponenda sufficiat. Sed vt ista planiora fiant, exemplis agam. Nauta

vestitus

vestitu cannabino indutus, fac sit idea reponenda; hæc igitur si in primo repositorio locanda fuerit, fingo nautam torque aureo corpus obliquè cinctum ibidem stare: si in secundo, collum eius catenâ argentea, cui fistula naucleriaca appendit, exornari: si in tertio, tibias ipsius cothurnis nigris decorari: si in quarto, brachium dextrum mitella bombycina cyanea in nodulum conjecta circumligari: si in quinto, caput pileo Monumetbensi rubro contegi: si in sexto, galerum plumis flauis ventillantibus adornari: si in septimo, tibiam dextram periscelide serica viridi, infra poplitem vinciri: si in octauo, sagulum illius cannabinum segmentis serici villosi purpurei distinctum esse: si in nono, ceruicem monili candidissimo alica impapasta rigente, cohonestari: si denique in decimo, femoralibus raui coloris eum indui suppono.

Quòd si idea suâ naturâ colore repositorii sui quoquo modo vel ex parte tantùm imbuatur, tùm alia attributione haud quaquam indiget, quia colorem repositorij habere exinde iam

intel-

intelligitur. Exempli causa: Esto vt prætor ciuicus, qui officij sui ratione toga coccineâ, aureáque catena induitur, pro idea ponenda sit; Nempe, in repositorio primo vel quinto, coloris attributione non opus habet, cùm catena aurea colorem repositorij primi, toga coccinea quinti manifesto referat. Eôdem modo, si taurus niger idea sit in primo repositorio constituenda, tùm cornua ipsius inaurari fingenda sunt; si in secundo, inargentari: si in tertio, color illius proprius niger existens, alienam coloris assignationem excludit: si in quarto, tùm serto collum circundetur è floribus cyaneis composito; si quinto, strophium vacciniis rubris contextum ceruici imponatur &c. Sic pictura in pariete opposito repositorii primi depicta, colore aureo in locis conuenientibus intingitur; in pariete repositorii secundi, colore argenteo: in tertii nigro: &c.

Et dici quidem vix potest, quantum adiumenti, tàm ad ideas ipsas, quàm ad earum ordinem memorandum ista coloris repositorii attributio fert. Hinc enim

enim mens ideas repositas reuisens, aliquid certi semper habet, quo insistat, ad ideam vllam, si modò lateat, eruendam: quoniam pro certo constat, ideam latentē, vel quidē omnino, vel aliqua saltē ex parte tali colore pro ratione repositorii sui infectam fuisse.

Præterea, in attribuendo colore repositorii ideæ cuipiam eundem per se non participanti, attendendum est, vt color repositorii parti ideæ maxime spectabili, vel quæ illi est maximè propinqua accommodêtur. Vt, si hystoria Ionæ prophetæ a nautis in mare eiecti pro idea statuatur, per picturam attenuatè exprimitur, cap. 3. In qua, tametsi cœtum, mare, nauis, terra pingenda sunt, attamen ipsius Ionæ effigies huius est picturæ pars maximè spectabilis, quia Ionas subiectum existit hystoriæ ibidem depictæ. Itaque si hystoria Ionæ in primo repositorio disponenda sit, fingantur fimbriæ togæ, qua induitur, esse aureæ: si in secundo, argenteæ: si in tertio, toga ipsa nigra esse putêtur, si in quarto cyanea &c. Sic summitas aceruí triticei pars eius est maximè spectabilis: Ideóque

ôque ſi aceruus triticeus in primo repoſitorio reponatur, Vexillulum aureum bipedalis altitudinis, in ſũmitate aceruui infixum eſſe ſuppono: ſi in ſecundo repoſitorio, vexillulum argenteum locatum eſſe coniicio: ſi in tertio nigrum; ſi in quarto cyaneum: &c.

Atque hæc de communibus idearum affectionibus in quantitate, ſitu & colore conſideratis, dixiſſe ſufficiat. Species iam ſequuntur.

Cap. 7.

De ideis rectis.

IDea eſt Simplex vel Compoſita. Simplex eſt vniformis: Eſtque ea quadruplex: Recta, Relatiua, Subdititia, & Scriptilis.

Recta eſt, qua res viſibilis vel ſub viſibili formâ concepta, per eandem ipſam formam reponitur, ſub qua naturaliter concipitur. Sic hircus hirci, rhinoceros rhinocerotis, pauo pauonis, columba columbæ idea recta eſt. Sic vir procerus ſceptriger, diademate imperiali inſignitus & trabeatus, regis.

regis idea eſt: Habitu academico decoratus academici: vetula pullo veſtita plorans faciemque detergens ſudariolo viduæ: Virgo habitu moniali amicta, virginis monialis: Satyrus, qualis à Poetis deſcribitur, Satyri: Sic templum templi, liber libri, lectus lecti, theca thecæ, imago imaginis, pictura picturæ, epiſtola epiſtolæ, ſyngrapha ſigillo munita ſyngraphæ idea recta eſt. Sic boni angeli & dæmones, licet ſpiritus incorporei & inuiſibiles exiſtunt, cùm tamen ſub viſibilibus formis vulgò concipiuntur, per eaſdem reponi debent. Denique omnium viſibilium aut ſub viſibili formâ conceptorum ideas rectas mens ipſa ſuâpte naturâ confeſtim offert, vt opus non ſit alias excogitare, ſed oblatis vti. Siquis enim tibi hyſtoriam narret de nauali prælio, an non tu ſtatim mare, naues, bombardarum fumos, cæteráque ad pugnam naualem pertinentia, verè tibi videris cernere? Si de armiluſtrio loquatur, an non campi effigiem quandam mente concipis, militibus repleti ordine militari incedentibus? Nec quicquam aliud

aliud hîc præcipitur, quàm natura edocuit, niſi vt ad ideas iſtas naturales memoriâ altiùs conſignandas, certo quodam loco & modo illas reponimus, ne cæteróquin læuiùs apprehenſæ diſparerent. Sed vt iſta pleniùs exponam, agam exemplis.

Exemplum hyſtoriæ reminiſcendæ.

[*Diogenes Cynicus aulam Platonis ingreſſus, cùm menſam tapete pretioſo contectam, abacum poculis vaſculiſq; argenteis & inauratis refulgentem, reliquorumque ſupellectilium apparatum cerneret, tapetem corripuit, ſummoque cum impetu in humum deijciens, pedibus conculcauit, dicens:* Calco faſtum Platonis: *Cui* Plato *viciſſim,* At maiori (*inquit*) *cum faſtu.*] Huius hyſtoriæ idea non tanta eſt, quin in æqua ſua quantitate reponatur. Fingo igitur in loco repoſitorii, quo diſponenda eſt, menſam tapete luxurioſo contectam eſſe, quem quidem ſordido mendici habitu ſqualidus humi proſternit, id aſpiciente viro graui, qui veſtimentis ſobriis & honeſtis induitur. Coloris autem repoſitorii attributio omitten-

da non est. Nempè ergo si repositorium, quo idea ista collocatur, primum fuerit, tapetem aurea instita aut fimbria decorari fingo, si in secundo argentea, si in tertio nigra, si in quarto cyanea, & similiter in cæteris.

Exemplum aliud.

[*Cùm primum* Caius Iulius Cæsar Britanniam *inuasisset*, *indigenæ arma rapientes*, *illum adorti*, *iusto prælio*, *cum veteranis suis in fugam verterunt*. *Vnde illud* Lucani *de* Cæsaris *repulsa* [*Territa quæsitis ostendit terga Britannis.*] Huius hystoriæ idea attenuata esse debet: quia in debita sua magnitudine loco memoriali contineri nequit. cap. 4. Itaque fingo in peripetasmate cannabaceo parietis oppositi portionem dimidiatum dextralem vel sinistralem omninò tegente, belli acerrimi formã (non interim neglecta coloris repositorii attributione idonea) optimè depingi: In quo pars vna pugnantium Romanos referens armati sunt, atque habitu cultiori amicti, quorum primipilus, antèsignanus, & aquilifer, cum tota sua cohorte retrocedentes reliquis suorum

ſuorum fugiendi occaſionem præbent; pars altera Britannos referens ſylueſtri & inculto planè veſtitu induti hoſtibus fugientibus inſtant, & victoriam ſuam proſequuntur.

Exemplum ſententiæ memorandæ, cuius ſubiectum eſt viſibile.

[*Formica animalculum eſt inter omnes creaturas frigidiſsimum, & ſiccisſimum: proptereáque etiam prudentiſsimum. Nam frigor & ſiccitas ſapientiā potiſsimùm conferunt.*] Huius ſententiæ idea aucta eſſe debet. Magnitudo ſiquidem formicæ tantilla eſt, vt in loco memoriali repoſita viſum lateat. Itaque grumulum formicoſum in proſcenii loci memoriali meditullio ſubſtituo, qui formicis hic ibi reptantibus, niger propémodum eſſe videtur. Deinde, quod ad coloris attributionem attinet, ſi hæc idea in tertio repoſitorio collocêtur, formicarum nigrôre colorem repoſitorii exhibet, ſi in ſeptimo, grumuli virôre. Vnde in tertio aut ſeptimo locata, nulla coloris attributione indiget. Cæterùm in repoſitorio primo deſignata vexillu-

lum triangulare aureum pedalis altitudinis grumulo sit infixum; si in secundo, argenteum; si in quarto byssinum cyaneum; si in quinto rubrum; si in sexto flauum; si in octauo purpureum; si in nono album; si in decimo rauum.

Exemplum aliud.

ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν.

Vel sicut Ouidius habet libro primo de amore.

Quid magis est durũ saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Vtraque sententia cùm idem significet, eôdem modo reponitur: scilicet fingendo, in superiori parte parietis oppositi tubum plumbeum prominere fulcro ferreo parieti intrito sustentum, qui aquam in proscenium marmoreum stillicidio iugi quasi excauatum, copiosè profundit. Quinetiam tubi fulcrum colore repositorii pingatur.

Et per ideam quidem rectam in quantitate æqua, aucta, vel attenuata omnes

omnes omnino hyſtoriæ, res geſtæ, tabulæ, communia negotia, viſibilia quæque, aut ſub viſibili forma concepta, denique ſententiæ omnes, quarum ſubiectum eſt viſibile, reponi debent.

Cap. 8.

De ideis relatiuis.

RElatiua eſt ſimplex idea, quæ memorandum per ſuum correlatiuum exprimitur. Vt:

Primò, cùm cauſa per effectum ſignificatur. Vt: Melancholia per virum triſtem, qui galero infrà oculos præuulſo, brachiis inuolutis, oculiſque in terra defixis immotus ſtat. Ver per viridantia prata, arboréſque frondeſcentes. Bruma per ædificia, plantas, terram, omnia denique niue cooperata, & gelu rigentia. Crapula per virum impinguatum fruſtula ſemicocta euomentem.

Secundò, cùm effectum per cauſam ſignificatur. Vt: ſi oppreſſionem pauperum per inſignem inopum oppreſſorem, qui propter iniuſtam diui-

tiarum accumulationem vbique malè audit, notarem: blaſphemiam per blaſphemum prodigioſum, cuius omnis ſermo iuramentis tremendis ſuffarcinatur.

Tertiò, cùm ſubiectum per adiunctum notatur. Vt: Dignitas imperialis per ſceptrum & coronam. Oenopolium per ſuſpenſam hæderam. Exorciſmus per pentaculum. Planetæ, & dodecatemoria per charactêres ſuos, tanquam per ſigna ſibi appropriata.

Quartò, cùm adiunctum per ſubiectum notatur. Vt: Frigus per glaciem. Calor per ignem. Lux per lucernam. Affectio per cor affectionum ſedem, ſuperbia per pauonem caudam rotantem. Ingluuies per ſtruthiocamelum. Ebrietas per hominem temulentum ſatis agnitum. Impudicitia per ſcortum famoſum. Auaritia per diuitem aureos numerantem, & eiuſmodi.

Quintò, cùm ſimile pro ſimili ponitur. Vt: Circuli parelleli pro mundo. Abraſa tabula pro anima. Serpens caudam mordicùs tenens pro anno. Mulier columnam fractam cingens pro

pro fortitudine. Virgo mitellâ oculos velata ensem districtum dextrâ, bilancem sinistrâ, tenens pro iustitia. Senex aliger sincipite crinitus, occipitio caluus, falcémque tenens fœnisecam pro tempore. Vir cribro aquam è stagno capiens pro malè feriato homine & irritum ambiente. Et quæ sunt his similia.

Sextò, cùm sententia per exemplum aliquod particulare, quo eiusdem veritas planisſimè pellucet, exprimitur. Vt: [*Nullum elementum in suo loco graue est.*] Hoc axioma philosophicum exemplo viri sub aquis vrinantis comodè illustrari potest. Quamdiu enim sub aquis existit, pondus aquarum minimè sentit, extra aquas verò vel mulctrale aqua plenum grauisculum experitur. Huius ideæ quantitas æqua est. Pingo enim integrum prosscenium eius loci memorialis, quo ista idea statuenda est, in balneum conuerti, cuius cisterna marmorea vnum pedem circumcircà crassa, aquis puris ad labrum vsque impletur. In cuius medio vir nudus erectè stans, amphoram vnda refertam bina manu suble-

uat, eandem ostensuro similis. Debet autem amphora in primo repositorio esse aurea, in secundo argentea, in tertio fictilis nigra, in quarto cynaea &c. Vt sic idea colorem loci quadántenus referat.

Exemplum aliud.

[*Venter mero æstuans despumat in libidinem.*] Hæc sententia per hystoriam Loti cum filiabus in antro lasciuientis obliquè exprimitur: quippequa apertè illustratur. Itaque proscenium loci memorialis, quo hæc idea collocanda est, in speluncam è saxo natiuo quasi excisam transmutari commentor, in quo Lotum cum filiabus suis combibentem verè mihi visus sum cernere. Loti etiam vestem exteriorem proscenio concolorem esse supponendũ est.

Exemplum aliud.

[*Astrologia iudiciaria est negotiosissima vanitas.* Basil. in hexæmer. hom. 1.] Relatiuè figuratur per hystoriam Thaletis philosophi, qui cum stellæ altitudinem nocte clara & luminosa astrolabio capere conaretur, minus stationi attendens, in foueam cecidit, vnde mulieri id spectanti ludibrio habitus

bitus est, propterea quòd superna tam curiosè rimaretur, quando cùm quæ infrà ad pedes essent, non attenderet.

Denique in reliquis argumentis, si quippiam per correlatiuum suum aptè figuretur, pro idea relatiua agnoscendum est. Et per ideam quidem relatiuam omnia vocabula hieroglyphicè expressa, vt et innumeræ sententiæ appositè exemplificatæ reponenda sunt.

Cap. 9.
De ideis subdititiis.

SVbdititia est idea simplex, qua res memoranda subdititiè reponitur. Hoc est per subdititium aliquid, quocum conuenientiam suppositítiam habere fingitur. Vt, cùm dictionis homonymæ significationis, siue in eâdem lingua vel diuersis, vnum significatum quippiam visibile denotans, pro alio inuisibili aut incognito subditur. Atque hoc modo propria nomina persæpè reponuntur. Vt: Ramus viri proprium per ramum viridem; Remus per remum: Faber per fabrum

ferrarium Vulcanum follibus ſuſcitantem: Strabo, per ſtrabonem notum: Verres per verrem: Penelope per penelopen: Vrſula per vrſulam; Lucretia per Lucretiæ picturam, ſibi mortem conſciſcentis. Sic nomen Richardi per virum notum eiuſdem nominis reponitur: Gratia fauorem ſignificans per mulierem, cui gratia pro nomine imponitur.

Sic porrò vocabula, quæ licet integrè ſumpta nil viſibile ſignificent, in partes tamen diuiſa res viſibiles denotant, per eaſdem recta ſerie iuxta parietem oppoſitum conſtitutas, reponuntur. Vt in iſtis barbaris: Apergliſſus, per gliſſem aggeſtam in cuius parte dextrali (quæ ſcilicet nobis eſt ſiniſtrum) aper ſe conuoluit, in ſiniſtrali (quæ dextima exiſtit quoad nos) ſus. Tedaſpis, per tedam & aſpidem. Sic Boſarnos, bos & ἀρνος ſubdititiè referunt: Araphos ara & φως. Sic dictionem [*Suſtineamus*] ſus, tinea, & mus ſubdititiè exprimunt, ſecundum verſiculum notum. *Furfur edit, pannum, panem quoque, ſuſtineamus.*

Sed per ideam ſubdititiam dictiones

mn-

Siniſtima.

tantùm reponuntur, & illæ quidem paucissimæ.

Sunt qui ad nudas literas dictionésue singulares memoria tenacius infigendas, imagines hominum virorum pariter ac fœminarum vtuntur pro literarum ideis subdititiis: & ad illarum animationem (vti loquuntur) tales illis actiones attribuere solent, quibus in mente suscitentur affectiones misericordiæ, lætitiæ, libidinis, metus, auaritiæ, iræ & eiusmodi. Tales autem ideæ nullatenus probandæ sunt: primò quòd impium est, & periculosum imagines libidinosas aut scurriles mente fouere, quippe quæ animam fæculentam reddunt, eóque nomine ad sua munia exequenda pigriorem. Secundò, naturalem reminiscendi rationem funditùs euertit. Natura enim a teneris vnguiculis edocta est, per hominum imagines homines non literas apprehendere: quem quidem ordinem infringere, nihil aliud est, quam naturam dedocere, id quod summè arduum est, & plus quam difficile. Tertiò, nimium temporis in talium idearum animatione conteritur. quæ eadem ratio existit, quòd in memoria tamdiu reuolutæ altius imprimuntur. Denique vanum esset,

set, & prorsus inutile, alphabetum animalium parare, & memoriter ediscere, cum ad nudas literas dictionésue tantum singulares appræhendendas inseruiat, quarum vsus perquam rarus inuenitur.

Cap. 10.
De ideis scriptilibus.

SCriptilis est idea simplex, qua res memorāda in tabula candida plana quatuor pedes quadrata parietique opposito appensa literis nigris inscribi fingitur. Inscriptio rei memorandæ primo aspectu nimis forsan imbecillis & infirma videbitur, ad quippiam memoria insigillandum: Verùm, si regulas omnes strictè obserues, quæ in ideis scriptilibus reponendis præcipiuntur, aliter senties.

In omni ideâ sex generaliter requiruntur.

Primum, vt notæ scriptiles (quales sunt literæ & figuræ arithmeticæ) tantæ sint magnitudinis, vt à remotiùs stante planiùs legantur. Hinc enim à visuali potentia faciliùs attrahuntur, memoriæque transferuntur. Huius

modi

modi inſcriptiones in templorum ac domiciliorum parietibus paſſim videre eſt.

Secundum eſt, vt eâdem planè forma quælibet idea ſcribatur, quâ vulgò in libris aut chartis depingi ſolet. Sic librorum nomina in citationibus inſcribendis calce amputandæ ſunt. Vt: Gen. 20. 6. Rom. 8. 13. Catalogus longa nominum ſerie deorſum currente dignoſcitur. Vt in hæreticorum catalogo alphabetico videre eſt.

Ætij.
Agnoitæ.
Albanenſes.
Anabaptiſtæ.
Anthropomorphitæ.
Apollinaris.
Apellitæ.
Arriani.
Artemonitæ.
Athelitæ. &c.

Diſtributio per partes ab inuicem diſſitas, ad totum nota diſtributiua reductas explicatur, hoc modo:

Feſta

Festa Iudæorum fuerunt:
- Magis Solennia tria,
  - Pascha.
  - Pentecoste.
  - Festum tabernaculorum.
- Minus Solénia tria,
  - Neomenia, siue festum clangoris.
  - Festum expiationis.
  - Encœnia, siue festũ dedicationis, ab Herode magno constitutum.

Syllogismus per propositionem, assumptionem & conclusionem in diuersas sectiones distinctas notatur, in hunc modum.

Qui deuorat quod deo consecratum est, destructionem propriæ familiæ adfert. Prou.20.25.

At qui portionem glebæ ad sacerdotem pertinentem sibi suisque lumbis appropriat, deuorat id quod deo consecratum est. Ezech. 45.4.

Ergo

Ergo qui portionem glebæ &c.

Comparatio partibus explicata protasin & apodosin collateraliter dispositas habent. Vt,

Sicut magna est discrepantia inter facultatem visus, & actum videndi: (facultas enim semper adest, actus sæpè intermittitur.)

Ita multum interest inter facultatem fidei & actũ credendi. Illa renatis post conuersionẽ semper adest, hic verò haud rarò interrũpitur.

Sic fragmenta poetica per versus singulos singulis lineis compræhensos: Sententiæ oblongiores orationis solutæ per lineas longitudine æquales: omnia denique, vti vulgari scripturâ assuetum est, exprimuntur.

Tertio requiritur, vt in suprema parte tabulæ scriptura inchoëtur.

Quarto in omni idea scriptili vna saltem dictio arctissimè appræhendẽda est, ac propterea literis textualibus (quæ dicuntur) exprimenda, & vocalibus quidem inauratis: Sed eius insuper litera prima valdè magna sit, & reli-

reliquarum tranſcendentiæ (ſiquæ fuerint) aliquantò longiùs producantur, quàm vulgo aſſolent. Vbi animaduertendum, quòd ex literis minoribus quædam ſunt interlineares, quædam tranſcendentes. Interlineares ſunt, quæ inter duas lineas parallelas in ſcriptura omni intellectas continentur. Vt,

acemnorsu

Tranſcendentes ſunt, quæ interlineale ſpacium tranſcendunt. Quarũ aliæ lineam ſolúmmodo ſuperiorem pertranſeunt: vt,

bdiklſtſſh

Aliæ inferiorem: Vt,

gpqrỿz

Aliæ

Aliæ vtramque. Vt,

Quintò, quoniam ſuprà requiritur capite ſexto, vt vnaquæque idea colorem repoſitorii ſui, aliqua ſaltem ex parte ſibi attributum habeat: Idcirco tabulæ cuiuſque crepido repoſitorio ſuo concolor fingenda eſt.

Sextò, expedit, vt in idea ſemel inſcripta contemplanda tantiſper hæreamus, dùm eius impresſionem leuem ſaltem in memoria fecerîmus: impenſiùs interim obſeruatis in mentali iſta contemplatione ſcripturæ totius longitudine dictionis potiſſimùm appræhenſæ litera prima, vocalibus aureo colore intinctis, literarum tranſcendentiis & ordine, ſimilibuſque conſiderationibus, quæ ad ideam tabula inſcriptam impreſsiùs infigendam conducere videantur. Nam cùm inſcriptione-

tiones

tiones mentē leuiùs percellant, quàm res ipſæ, eò penitiùs & diutiùs animo reuoluendæ ſunt, vt quod ratione imbecillitatis ſuæ præſtare nequeunt, diutina hac mora altiùs impreſſæ perficiant.

Atque hæc de illis quæ in omni idea ſcriptili generaliter exiguntur: Iam ad eius ſpecies deſcendâmus. Sed de ſingulis ideæ ſcriptilis ſpeciebus ſeperatim agere, cùm nimis operoſum eſſet, tùm minimè neceſſarium. In vſitatioribus igitur tantùm inſiſtam, quæ ſunt quatuor: Dictio, Citatio, Phraſis, & Sententia.

Dictio ſingularis & citatio nullam dictionē præcipuam habere dicuntur, quippe quæ ex vnica dictione cōſtant, quæ eadem arctiſſimè apprehendenda eſt. Reg. 4.

Exemplum dictionis inſcribendæ eſto hoc vocabulum; [Spagyrus] (Paracelſo talem ſignificans, qui bonum à malo, verùm à falſo dextrè poteſt ſecernere) Illud hoc modo inſcribitur.

Spagyrus



In ipsa tamen inscriptione, dictionis longitudinem literam primam, reliquarumque figuram & ordinem è coloribus ipsarum & transcendentiis studiosè perpendo: quarum tres sunt auratæ, (*a y u*) tres inferiorem lineam transcendunt. (*p g y*)

In citationis inscriptione præter nomen libri, numerorum item quantitas est obseruanda. Nam cùm numerus sit quantus, & res quantæ proximè visibilibus optimè appræhendantur, Ideirco vel ex quantitate eorundem obseruata numeri omnes in memoria reponuntur. Exemplum citationis inscribendæ sit istud.



Literæ (*e* & *o*) aureo colore intingendæ sunt: *æ* & *d* sunt Transcendentes: Prior enim inferiorem lineam posterior superiorem pertransit.

In phrasi & sententia inscribenda, dictio prima arctissimè apprehendenda est, ideóque eius litera primaria valdè magna ducenda, vocalibus inauratis, & transcendentiis in longitudinem productis, vti superiùs præcipitur reg. 4.

Porrò in phraseos inscriptione, omnia vocabula præter primum literis pendulis exarari debent.

Exempla phrases scribendi.

Lepóre verborum allicere.

Thraso-

Thrasonicis ampullis inflari.

Sententia est vnius clausulæ, vel plurium.

Sententia vnius clausulæ literis textualibus omnino scribitur. Vt,

Nulla calamitas sola.

Lex Dei, lux hominis.

Πάντα φίλων κοινά.

Sententia plurium clausularum vult omnes primæ clausulæ dictiones, textualibus adnotari literis: reliquas verò, quotquot fuerint, pendulis. Vt,

Sola salus seruire Deo:
sunt cætera fraudes.

Exemplum aliud.

Quanquam bonum non est malum,
est tamen bonum vt sit malum. Augustinus.

Exemplum aliud.

Quicquid cuique credendum est, verum est. Ob.

At

At pessimo cuique credendum est, se saluum fore.

Ergo pessimum quemque saluum iri, est verum.

Resp. Pessimo cuique non absolutè credendum est, se saluum iri, sed ex hypothesi: nempè, si resipiscat, & credat in Christum.

Exemplum aliud.

Auream quisquis Medio-
critatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula. Horat.

Et per ideam scriptilem omnes charactêres, literæ singulares, audi numeri, figuræ genethliacæ, descriptiones cosmographicæ & citationes semper exprimenda sunt: Nec non omnes dictiones, phrases & sententiæ, alioquin aptè inexpressibiles.

Atque hæc de ideis scriptilibus: adeóque etiam de omnibus simplicibus. Composita sequitur.

Cap.

Cap. 11.

De ideis compoſitis.

COmpoſita idea eſt quæ ex ſimplicibus componitur. Ea vel nudam dictionem refert, vel ſententiam. Idea compoſita nudam dictionem referens ex ſubdititia & ſcriptili componitur. Exempli gratia.

Lurconius, dictio barbara primam ſui portionem (Lurco) per notum lurcônem carnes auidè deuorantem ſubdititiè exprimi vult; portione reliqua (Nius) in pariete oppoſito ei a ſiniſtris ſcriptoriè expreſſà.

Sic *Algarus* vocabulum fictitium, per ſyllabam (Al) in nudo pariete inſcriptam, & gari effigiem iuxta depictam, repræſentatur.

Et per ideam compoſitam ex ſubdititia & ſcriptili vocabula nonnulla ſatis conuenienter reponi poſſunt.

Idea Compoſita integram ſententiam referens duplex eſt: Compoſita ex recta & ſcriptili: & Compoſita ex relatiua & ſcriptili. Vtriuſque natura exemplis ſatis perſpicua redditur.

Exemplum

Exemplum ideæ compositæ ex recta & scriptili.

Apud Ouidium elegiarum libro tertio, fabula Iouis ac Danaes moralem habet applicationem, his verbis :

Iupiter admonitus nihil esse potentius
 auro,
 Corruptæ pretium virginis ipse fuit.
Dum merces aberat durus pater, ipsa
 seuera,
 Æerati postes, ferrea turris erat.
Sed postquam sapiens in munere venit
 adulter,
 Præbuit ipsa sinus, & dare iussa dedit.

Ad hoc morale memorandū fingo in parte superiori tabulæ satis amplæ, parieti opposito suspensæ hanc Iouis ac Danaes fabulam ad viuum pictam. In parte verò inferiori candida existente, eosdem versiculos Ouidii recepto more subscriptos.

Exemplum aliud.

Septem principes electores ab Othône imperatore eius nominis tertio, & Gregorio quinto pontifice primùm instituti his versibus a Manlio recensentur.

Mogun-

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Atque Palatinus dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus cameræ, pincerna Bohemus.

Pingitur in tabulæ superiori parte imperator in throno sedens, principibus septem circumstantibus: In inferiori verò parte versus illi subjiciuntur.

Exemplum aliud.

Epigramma de Hugone quodam milite glorioso, apud Nicolaum Borbonium tale exstat.

Sæpè lapis motus non fit muscosus, vt aiunt:
At barbam è bello rettulit Hugo domum.

Fingo in loco memoriali militem armatum ambulare, vultu toruo & atroci conspicuum, barbamque copiosam habentem, cuius brachium sinistrum scuto albo oneratur, quo illud epigramma inscribitur.

Exemplum aliud.

Epitaphium in Matildem Augustam Henrici primi Angliæ regis filiam,

Henrici quarti imperatoris coniugem, & Henrici secundi regis Angliæ matrem.

Magna ortu, maiorque viro, sed maxima prole,
Hîc iacet Henrici filia; sponsa, parens.

Fingo in tumuli alabastrini latere proximiori hoc epicedium inscribi.

Et per ideam compositam ex recta & scriptili, omnes omninò hystoriæ, res actæ, fabulæ, apologi, moralia, versibus aut scripturâ alia illustrata, nec non omnia epigrammata, epitaphia, anagrammata, & impressa exprimenda sunt.

Exemplum ideæ compositæ ex relatiua & scriptili. Theodorus Beza de viro in cœlum conspuente.

Cernis, vt hic fœdo cœlum qui conspuit ore,
Non cœlum, imò suos conspuit ore sinus:
Et tu cœlorum domini contemptor, in illum,
Non quot verba iacis, tot tibi probra vomis?

In tabulæ superiori parte virum commentor pingi, qui ansellatis brachiis

&

& diuaricatis pedibus retrorsum caput flectens cœlum versus conspuit; in parte item inferiori tetrastichō illud subjici, vti in emblematis assuetum est.

Exemplum aliud.

Eiusdem Theodoræ Bezæ emblema, de æquali vndiquaque distantia peripheriæ à centro ogdoastichon.

Cernis, vt hæc medium cingat teres
vndique punctum
Linea, & hinc spacio distet & inde pari.
Scilicet illa refert, quod nos tegit vndique cœlum,
Tellurem hoc punctum quod tenet
ima notat.
Cur igitur doleas? quorsum (dic quæso) labores
Tu, patria pepulit quē pietatis amor?
Cœlum si versus tendis, quocunque recedes,
Hinc spacio cœlum cernis & inde pari.

In tabulæ conuenientis magnitudinis parte superiori peripheriæ centrum circumducitur; In inferiori versus subscribuntur.

Exemplum aliud.

Magnus Aristoteles trutinando cacumina rerum,

In duo diuisit quicquid in orbe fuit.

In tabulæ superiori parte duos circulos parallelos duci fingo, in quorum centro figura hæc 2 inscribitur: disticho infra subiecto.

Exemplum aliud.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. *Hesiodus.*

Ad calcem Cebetis tabulæ perscienter pictæ iste Hesiodi versiculus scribitur.

Et per ideam compositam ex relatiua & scriptili, omnia emblemata, & sententiæ hieroglyphicæ vel paradogmaticè illustratæ reponi debent.

Sed ista de ideis compositis dicta sunto: atque adeò de omnibus idearum speciebus.

Cap. 12.
De idearum delectu.

EX quinque proximè præmissis capitibus satis iam manifestum est, qualem, imò verò quam ideam omne memorandum sibi appropriatum vult: Sed quò planiùs omnia appareant, liceat

ceat mihi regulas illas de idearum delectu hîc & ibi dispersas breuiter recensere. Talis enim recapitulatio tautologia vt sit, est tamen vtilis. Regulæ autem sunt huiusmodi.

Reg. I. Omnes omninò hystoriæ, res actæ, fabulæ, apologi, negotia communia, visibilia quæque, & sub visibili formâ concepta, nec non sententiæ omnes quarum subiectû siue materia res visibilis existit, nulla scriptura illustrata, per ideam rectam in quantitate æqua, aucta, vel attenuata, prout natura ideæ fert reponi debent. cap. 7.

Reg. II. Omnes omninò hystoriæ, res actæ, fabulæ, apologi, moralia, & similia, versibus aut scriptura aliâ insignita, vt & omnia epigrammata, epithaphia, anagrammata, & impressa, per ideam Compositam ex recta & scriptili semper exprimenda sunt. cap. 11.

Reg. III. Omnia emblemata, & sententiæ insigni exemplo illustratæ, aut hieroglyphicè expressibiles, per ideam compositam ex relatiua & scriptili exprimenda sunt. cap. 11.

Reg. IV. Omnes charactêres, li-

teræ ſingulâres, nudi numeri, figuræ genethliacæ, deſcriptiones coſmographicæ, citationéſque authorum, per ideam Scriptilem perpetuò reponuntur. cap. 10.

Reg. V. Omnes dictiones ſolitariæ nil viſibile ſignificantes, quarum idea vel relatiua, vel ſubdititia, aut etiam compoſita ex ſubdititia & ſcriptili ſtatim occurrit; relatiuè, ſubdititiè, aut ſic compoſitè reponi debent. Si nulla talis idea actûtum occurrat, per ideam ſcriptilem exprimuntur. cap. 8, 9. 10. & 11.

Reg. VI. Omnes phraſes & ſententiæ per ideam rectam inexplicabiles, per relatiuam vel ex relatiua & ſcriptili compoſitam, ſi accomoda ſe confeſtim offerat, adumbrêtur: ſed accommodâ è veſtigio ſe non offerente per ideam ſcriptilem. cap. 8.10.& 11.
Et de idearum quidem electione ſatis.

Cap. 13.

De modo reponendi Ideas.

SVpereſt iam de modo ideas in locis ſuis reponendi, regulas quaſdam

ſdam aſtruere. Quæ tales exiſtunt.

Reg. I. Quælibet idea ſuo ordine eſt locanda: Prima ſcilicet quæ occurrit, in primo loco, ſecunda in ſecundo, repoſitorii primi. Tertia in primo, quarta in ſecundo, repoſitorii ſecundi. Quinta in primo, ſexta in ſecundo, repoſitorii tertii: Adeóque in reliquis (quotquot fuerint) repoſitoriis.

Reg. II. Cuilibet ideæ quantitas debita, ſitus conueniens, repoſitorii color, attributioneſque peculiares reddantur, & impensè admodum notentur.

Reg. III. Poſtquàm primam ideam repoſitorii cuiuſpiam debitè repoſuiſti, mentis acie tanquam ibidem re vera conſtitutam acriter intuere: ſimul perpendendo eiuſdem ſpeciem, ſubiectum, quantitatē, ſitum, attributionem coloris repoſitorii, aliaſque, ſiquas habet, attributiones peculiares. Vt ſi idea in repoſitorio aliquo primùm diſpoſita, ſit quoad ſpeciem recta, quoad ſubiectum de homine, reſpectu quantitatis æqua, reſpectu ſitus humilis, & ſecundum attributiones peculiares mota ac ſonora: Hæc ſcilicet

mente repeto dicendo: Idea quam hoc loco disposui est recta, humana, æqua, humi sita, mota & sonota. His enim considerationibus Idea mente penitiùs infigitur.

Reg. IV. Postquam secundam ideam repositorii cuiuspiam debitè reposuisti, quærenda est apta illius ad priorem relatio respectu situs, aut subiecti similis, vel dissimilis; aut etiam respectu actionis posterioris ideæ in priorem translatæ. Nulla enim occurrit idea, quæ vno horum quinque respectuum ad priorem referri nequit. Id quod è subiectis exemplis liquidò constat. Nam cùm vtraque idea præcedens pariter ac subsequens parietina est, mensaria, humi posita, subterranea, &c. situ conueniunt: Cùm verò vna sit parietina, altera mensuaria, humi posita, subterranea, situ dissimiles sunt. Cùm vtriusque ideæ subiectum est iustitia, peccatum, homo, bellum, somnus, &c. subiecto similes sunt: cùm autem vnius ideæ subiectum est iustitia, alterius ebrietas, homo, lapis, seu quid aliud disparatum, subiecto dissentiunt. Exemplum actionis

onis posterioris ideæ in prioré translatæ hoc fit: Esto, vt idea in primo repositorii loco dispolita, sit vir togatus mensæ assidens libros computationũ inspiciens, calculisque ordine dispositis summam colligens: Idea verò in secundo repositorii loco reposita, sit faber veterinarius saliuatum è cornu in equi os infundens. Hîc, vt actio posterioris ideæ in priorem transeat, fingo quòd equus resiliens, simul atque saliuatum in os infunditur, virum in priori loco mensæ assidentem in computo suo interturbat. Atque hæc idearum in eodem repositorio mutua relatio, quasi earundem concatenatio est, & ad vtriusque recordationem mirum in modum conducit.

Reg. 5. Si duæ distinctæ ideæ aut plures etiam concurrant, quarum tam arcta reperitur ad inuicem relatio, vt in vnam quasi syzygian coalescant, in vno eodémque loco memoriali disponantur. Vt; si idea immediatè præcedens sit peluis argentea aquæ suaueolentis plena, sustentaculo querculano suffulta, idea verò subsequens sit homo otiosus & nihil agens; Hasce duas i-

deas in vnam coniungo, effingendo hunc hominem in aqua illa suaueolenti manus suas colluere. Sic si idea prior sit duæ virgines confabulantes, posterior forago serici viridis: vt duæ istæ ideæ in vnam iungantur, carpos fingo vnius puellæ foragine iniecta circundari, dùm illa altera filum ab eius manibus in glomum colligit. Eodem modo, si idea antecedens sit scriptilis & deinceps subsecuta item scriptilis sit, modò spacium in tabulâ suppetit ad sequentem ideam recipiendam, posterior sub priori in debita ab inuicem distantia inscribi potest. Imò verò tres ideæ scriptiles simul coucurrentes, quarum sententiæ in vna tabulâ commodè contineri possunt, in vna tabula pingendæ sunt. Prima scilicet in parte suprema, secunda in media, tertia in infima; debito interim illarum interstitio obseruato. Cùm verò duas pluresue ideas in vno loco disposuimus, meminisse oportet tot in tali loco ideas coaluisse.

Reg. VI. Quando vllam ideam in loco suo repotuisti (siue prima sit repositorii vel secunda) omnes deinde

præ-

præeuntes ideas (si per tempus liceat suo ordine fac repetas, vt memoria altiùs subsidant, animoque tenacius inhæreant. Sicut enim discipulus lectionem sæpè relegendo memoriter acquirit; ità quò sæpiùs ideas reuolueris, eò certiùs tenebis.

Reg. VII. Denique cauendum est, ne numerosâ idearum multitudine memoriam plus æquo obruamus. Nam vt inutile est stomachum supra vires onerare: ita etiam memoriam multitudine idearum obruere valdè perturbat. Tantum stomacho temperans ingerit, quantum benè concoqui posse arbitratur, haud supra: Ita & tu quoque tot reminiscenda memoriæ committas, quot te speras posse fideliter custodire. Præstat enim paucula notatu digna tenaciter retinere, quàm plurima, quæ in genere versantur humili aut mediocri.

Cap. 14.

De praxi artis Mnenonicæ.

SVpereſt vt præcepta præmiſſa exemplis iam tandem illuſtrem, quibus praxis huius artis maximè conſpicua fiat. Agam itaque primò exemplis Negotiorum: Deinde Obſeruationum: Poſtremò Dictandi & Repetendi artificium breuibus exponam.

EXEMPLA NEGOTIORVM MEMORANDORVM.

1. Fac primò, vt tibi emporium quoddam verſus contendenti (cognitum an incognitum fuerit non refert) in mentem primò incidit pretium hordei ſatiui in foro inquirere. Finges ergo in primo loco repoſitorii primi (nempe in dextrali eiuſdem parte) te virum cernere qui hordeum è ſacco in modium transfundit, hominum turba circumſtante, vt fori faciem quadántenus referat. Modii verò anſas aureas eſſe inſuper fingendum eſt, vt ſic colorem repoſitorii primi idea aliqua ex

parte

parte sibi attributum habeat. Vti requiritur cap. 6.

2. Si porrò operarius tibi notus in eo oppido perquirendus sit, qui in fœniseccio tuo operêtur, illum putabis in secundo loco siue sinistrali parte repositorii primi consistere, qui se quasi ad opus illud agreste paraturus, falcē messoriā aureā cote acuit. Auream dico vt Repositorii colorem participet.) Hæc idea cum priori conuenit situ & subiecto. Sunt enim ambæ huius repositorii ideæ humi sitæ & humanæ.

3. Prætereà, dum cogitabundus itinere progrederis, fac vt mens tua à negotiis communibus ad contemplationem philosophiæ transferatur, & in meditatione ista quippiam aduertat postera discussione dignum. Tum eius ideam quamuis obseruatio sit, in loco primo repositorii secundi collocabis. Exempli gratia. Mentis tuæ meditatio sit ista. [*Quemadmodum ex halitibus terrestribus condensatis, brontia siue lapis fulmineus in aere progignitur, qui tamen grauium matrix nequaquam est: Sic è corporum cœlestium radiis (qui quidem illorum quasi halitus*

sunt)

sunt) substantia quædam gignitur, dicta quinta essentia, quæ se quatuor elementis admiscens, per ipsorum lentorem, in vnum cum illis coalescit. Vnde alterantur, nouisque formis induuntur, prout est materiæ dispositio, in quam radij cælestes transfunduntur, manu tamen summi opificis illa disponente.] Huius idea aucta est. cap. 3. Exprimitur enim per multitudinem lapidum fulmineorum in meditullio proscenii loci primi repositorii secundi aggestorum. Aliquot item ex illis in sũmitate iacentes, vt colorem repositorii referant, inargentari fingantur.

4. Porrò tibi proximè subit cogitatio de speciebus aromaticis emendis. Finges ergò repositorii secundi locum secundum siue sinistralem partem formam aromatopolii induisse, *parietemque oppositum nidis pixidum speciebus variis refertarum quarum nomina secundum receptã consuetudinem inscripta,* gerunt, ornatum esse : duósque pedes citra parietem pixidibus sit instructum, mensam expositoriam discurrere, super quam merces à te emendas collocabis. Vt si primum

quod

quod emendum videtur, sit piper, tùm qualus argẽteus pipere plenus super sinistimã quoad stationem tuam expositorii partem reponatur. Si secundum quod occurrit sit nuces myristicæ, tum in media parte mensæ expositoriæ sacculum cannabaceum nucibus myristicis inargentatis plenum, & apertum collocabis. Si tertium sit saccharum, tùm turbo sacchari dextimam partem expositorii occupare confinges, cuius summitas argento ductili contegitur, vt ita concolor fiat saltem ex parte suo repositorio. Denique tres in hoc loco ideas dispositas fuisse oportet meminisse: quarũ relatio ad ideam, quæ in priori loco disposita fuit, è dispari situ sumpta est. Illa enim idea humi aggesta fuit, hæ tres verò sunt mensariæ, super expositorium scilicet collocatæ.

5. Deinde, in memoriam tuam incidit necesse esse, vt cum viro consiliario eius oppidi incola, (cuius fama in actis forensibus multùm percrebuit) de postulatu amici tui in cancellaria pendente, sermonem conferas. Putabis igitur in primo loco repositorii tertii consiliatorem illum causidici to-

ga indutum in cathedra ſedere, rotulos inuoluentem ſcriptorios. Cùm verò toga illius nigra ſit, aliena coloris attributione non indiget, quoniam hoc reſpectu idea per ſe concolor exiſtit repoſitorio.

6. Succedit deinde aliud negotium: nimirum oportere te, à mercatore ſericario illius oppidi pannum holoſericum nigrum emere: Secundus igitur repoſitorii tertii locus in propolii ſericarii formam tranſmutari fingitur. Cuius ſuper menſam expoſitoriam pannus holoſericus niger ſuperiacet, in plicas æqualis longitudinis rectè complicatus, qui itidem per ſe colorem repoſitorii refert, æquè ac toga iuriſperiti in priori loco ſedentis: Vnde etiam relatio ad præcedentem haud obſcura reſpectu ſubiecti prolicitur, eò quòd ſubſtratum togæ iuriſprudentis eſt holoſericum.

EXEMPLA OBSERVATIONVM REMINISCENDARVM.

Eſto præterea, vt eôdem ipſo die vnà cum multis viris literatis, in ſympoſio

posio communi prandens, in eorum sermonibus vltrò citróque iactatis, non-nulla obseruas, posteriori considerationẽ digna: Eorum igitur ideæ, eo ordine quo occurrunt, in sequentibus repositoriis reponendæ sunt. Exempli gratia.

1. Prima, quæ appræhenditur, sententia ista est. [*Desiderium eorum, ad quæ perueniri non potest, insaniam habet acriorem.*] Hanc sententiam ego relatiuè reponerem, per adolescentem mihi cognitum, vestibus bombycinis cyaneis apparatum, in primo loco repositorii quarti humi iacentem, & plorantem, qui cùm virginem quandam clara prosapia ortam miserè deperiret, nec ipsius connubium sperare ausus est, primò contabuit, atque demùm mente captus insaniit. Veritas enim huius sententiæ in hoc exemplo apertissimè elucet.

2. Secunda sententia illud est Lucretii [*Præterea, si nulla fuit genitalis origo, Terrarum & cæli, semperque æterna fuêre, Cur supra Bellum Thebanum, & funera Troiæ, Non alias alii quoque res cecinêre poetæ?*] Huius sen-

tentiæ

tentiæ idea est composita recta & scriptili. Nam in tabulæ quinque pedes latæ superiori parte Thebarum & Troiæ expugnationes separatim pingendæ sunt: & in inferiori candida existente, tetrastichon illud Lucretianum pulchrè subscribendum: & quoniam in quarto repositorio ponitur, linea cianea tres vncias lata, inter picturas Thebarum & Troiæ, obsidione cinctarum ducitur. Estque hæc linea huius ideæ pars maximè spectabilis, quippe quæ picturam in duas diuisam esse partes, sua natura ostendit, cap.6.

Denique ad parietem oppositum repositorii quarti in loco secundo appenditur. Relatio autem huius ideæ ad priorem è diuersitate situs petitur: quòd prior huius repositorii idea fuit humilis siue humi locata: hæc verò altè suspensa parieti opposito.

Sententia tertia reponenda. [*Omne iustum non est æquum Nam iustè fecit Manlius Torquatus, sed tamen iniquè, cùm filium suum bellicosissimum, & optimè de Rep. meritum securi percuti iussit, propterea quòd contra mandatum suum, hostium conuitiis lacessitus, copias*

Roma-

Romanas eduxerat, preliumque se absente miscuerat, tametsi victor rediisset.] Huius sententiæ idea recta est, & in primo loco repositorii quinti collocanda. Ibi ergo supponitur vir Mauortius cataphractus, plumatus, vultu austero ac minaci, torque ingenti aureo (cognominis indicio) corpus obliquè cinctus, taleam militarem rubram, vt colorem repositorii referat, dextrâ tenens ad latus applicatam qui carnifici lanionis habitu amicto, & securim gerenti sanguine consperfam, imperiosè mandare videtur, vt astantem filium serico rubro indutum ad necem abripiat.

Quarta. [*Potest aliquis damnum proximo inferre, id etiam sciens, absque iniuria. Nam si duo essent in eôdem opidulo diuersoria, certè pandochæus alter alteri damnum necessariò infert, eò quòd hospites ad se trahere conatur. Est tamen huiusmodi damnum illatum sine iniuria, nec proptereà vlla lege animaduersum.*[Idea recta est in quantitate attenuata. Fingatur ergo in secundo loco repositorii quinti pannus cannabaceus subtilis super parietem oppositum

omnino

omnino expanſas; in quo eleganter depingitur forma oppidi, bina diuerſoria habentis, quorum poſtes inſignia pro foribus ſuſtinentes rubri ſunt. Relationem ad priorem ideam habet, ratione ſubiecti; Nam vtriuſque ideæ ſubiectum eſt iuſtitia.

Quinta. [*Nullum eſt inſigne ingenium ſine aliqua dementia*] Relatiuè exprimitur, per literatum quendam benè notum, cuius ingenium ex nimia in ſtudiis intentione læditur. Hic galero plumis flauis ornato induitur (flauus enim color ſexti repoſitorii) manibuſque nugas agens cachinnos attollit, à reponente auditas. In primo autem loco repoſitorii ſexti ſtatuitur, iuxta parietem oppoſitum.

Sexta. [*Ilia Veſtalis a Marte compreſſa, Romum & Remum gemellos vno partu edidit, eóſque inſigni meretrici, quæ Lupa appellata fuit, alendos tradidit. A qua omnes domus meretriciæ Lupanaria etiamnum vocantur. Hinc fabulam fluxiſſe conſtat, eos a lupa ſylueſtri enutritos fuiſſe. Romus poſtea rex factus*

factus Romæ nomen dedit, qui tamen ip-se blandimenti gratia Romulus dictus est] Idea recta est. Fingigitur enim in repositorii sexti loco secundo, lupa gemellos tanquam catulos suos vberibus pendulis lactans, cuius collum millo flauo circundatur. Illa vlulatu emisso, virum illum in præeunte loco nugantem à cachinnis subtrahit: Atque hæc quidem relatio actionem respicit, eò quòd actio posterioris ideæ transit in priorem: secúndum regulam quintam capitis decimi tertii. Insuper vtraque huius Repositorii ideæ conueniunt, quippe quæ sunt ambæ sonoræ, & humi collocata.

Septima. [*Milo Crotoniensis athleta illustris, qui Olympiade primus coronatus est cum natu grandis artem athleticam desiuisset, iterque faceret forte solus in locis Italiæ syluestribus, quercum vidit proxime viam, in media parte ramis hiantem. Tum experiri, credo, etiam tunc volens, an vllæ sibi relictæ vires adessent, immissis in cauernas arboris digitis, mediam partem*

partem discidit: Quercus autem in duas diducta partes, cessante vi, rediit in naturam, manibusque eius retentis, inclusisque dilaniandum feris hominem prabuit. Au. Gellius Attic. noc. 15 16.] Huius hystoriæ idea recta est, in magnitudine æqua, & in primo loco repositorii septimi locanda. Fingatur itaque in loco primo quercus bifida glandifera, viridi fronde conspicua, in meditullio proscenii irradicari, in cuius fissura vir robustus & humerosus, lauro viridi redimitus, manibus immissis retinetur: qui retrorsum caput, adeóque etiam corpus reiiciens, omnia clamoribus horrendum miscet, vsque eò vt verè tibi videris non modò corporir reflexum cernere, ferásque hominem molestantes, sed clamores eius atque eiulatus auribus imbibere.

Octaua. [*Anilibus fabulis noctem protrudere.*] Hæc phrasis per ideam rectam exprimitur, fingendo parietem oppositũ secũdi loci in repositorio septimo in camini formã transmutari, ignem in foco accensum continentis, quem circa mulieres aliquot garrientes consident: E quibus vna vetula,

stola

ſtola viridi induta, (tanquam ſimia in purpura) reliquis ridibunda ſublatis manibus fabellam narrat, vultu, geſtu, & actione congruentibus; vnde totus fœminarum chorus in riſum ſoluitur. Relatio huius ideæ ad priorem inde oritur quòd vtraque eſt ſonora: Illa tamen flebilem & luctuôſum ſonum emittit: hæc verò hilarem & iocoſum.

Nona. [*Homines certe diis antiquiores ſunt, vtpote qui hos fecerunt.*] Huius ſententiæ idea recta eſt: ſtatuarius ſcilicet ſimulachrum inſculpens, ſubucula purpurea indutus, qui in octauo repoſitorio collocandus eſt. In quo locum etiam primum obtinet.

Decima. [*Quælibet niuis particula, modò nulla ex parte liqueſiat, hexagonalem figuram habet: & ſtupendum creatoris artificium illam curioſe intuentibus oſtendit.*] Huius ſententiæ idea recta eſt, in quantitate aucta. Nam cùm niualis flocculus tàm exiguus ſit, vt in loco memoriali repoſitus, eminùs cerni nequeat, niuis cumulus pro idea in medio proſcenii ſubſtituẽdus eſt, in loco ſcilicet ſecundo repoſitorii octaui.

ui. Cùm tamen iſta idea nihil in ſe habet purpureum, (qui huius repoſitorii color eſt) vexillulum purpureum, bipedalis altitudinis in niualis cumuli medio infixum puto. cap. 6. Porrò relatio è ſubiecto deſumitur. In vtraque enim idea artificium cernitur: ſed in hâc quàm in illâ multò præſtantius, & admirabilius. Nix etenim dei, ſtatua hominis opificium exiſtit.

Vndecima. [*Tres formoſiſſimæ ſunt matres filiarum valde deformium: Familiaritas, quæ contemptum: veritas, quæ odium: & pax, quæ deſidiam parit.*] Idea recta eſt. Finguntur enim in repoſitorii noni loco primo tres formoſiſſimæ mulieres, ſertis tempora redimitæ, habitu prædiuiti egregiè ornatæ, ſuper ſeſquaſtra in forma triquetrâ ſedentes, filiolaſque ſuas vagientes admodum deformes candidiſſimis tamen faſciolis (quæ colorem repoſitorii referunt) involutas, admotis vberibus lactantes: eritque hæc idea ſonora propter vagitum infantium.

Duodecima. [*Priuilegium illud eſt quod manat contra ius commune, in*

in fauôrem quarundam personarum, & dicitur priuilegium, quasi priuata lex.] Relatiuè exprimitur per aliquem probè notum, qui ære alieno obstrictus, priuilegium sibi procurauit in pergamena candida pulchrè inscriptum, magnoque sigillo confirmatum, quo à molestatione creditorum suorum protegitur. Pergamena autem repositorio concolor est, aliamque propterea coloris albi assignationem excludit. Postremò relatio è transitu actionis dependit: fingendo, virum istum in secundo loco repositorii noni collocatum, fœminas in priori loco sedentes aspicientem, eas flexu corpoporis humaniter & benignè salutare: à quibus etiam reciproca salutatione excipitur.

Decima tertia. [Non viuit, cui nihil est in mente, nisi vt viuat.] Huius sententiæ idea scriptilis est. Fingitur enim hæc sententia obseruatis obseruandis, in tabula candida quatuor pedes quadrata inscribi: Tabulam autem viro in secundo noni repositorii loco consi-

stentis, quia vacat, tenendam trado, cum interim à verborum commutatione cum mulieribus quasi subtrahens; (hac enim consideratione vtraque idea tanquam vna fit. cap. 13. reg. 5.) Et quia in nouo repositorio disponitur, coloris attributione non eget: Vti superiùs ostensum fuit, cap. 10. reg. 4.

Decima quarta. [*Canibus Britannicis in militari olim seruitio, vice militum vsi sunt prisci Galli & Britanni.* Strabo.] Huius idea est recta, sed attenuata, propter enorme spacium campo assignatum, quo bellum geritur. Hæc igitur cynanthropomachia in peristromate cannabino parietis oppositi dextralem partem tegente, viuis coloribus eleganter depicta sit, molossisque pugnantibus mullos rauos attribuere conuenit, spiculis ferreis horrentes; quia ista idea in repositorio decimo collocanda est, cuius color rauus existit.

Decima quinta. [Bona opera iustificant fidem: fides personam.] Idea est scriptilis. Fingo igitur

igitur hanc sententiam in tabula quatuor pedes quadrata, crepidine raua circumsepta, pulcherrimè inscriptam esse, secundum regulam cap. decimo. Demùm parieti opposito suspenditur: Vnde relatio ad priorem petitur, quòd vtriusque situs idem est. Sunt enim ambæ ideæ parietinæ.

Decima sexta. [Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc vbi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.] Idea itidem scriptilis est: vnde in tabula ideæ præeuntis commodè etiam inscribi potest, iis intereà obseruatis, quæ in scriptili idea reponenda, obseruari debent: simul tamen aduertendo quod idea in hoc loco constituta duplex est, cap. 13. reg. 5.

Decima septima. [*Anno* 1530. *Germaniæ principes, Carolo quinto imperatori, confessionem fidei suæ, cum solenni protestatione propter temporis periculum, Augustæ exhibuerunt: vnde ipsi postea, omnésque alij eandem confessionem amplexi, Protestantes dicti sunt.*] Idea hìc recta est. Quoniam verò decem

repositoria ideis iam perimplentur, colores decem primarii in sequentibus repositoriis, suo quisque ordine repetendi sunt, sicut antè admonitum fuit capite sexto. Hinc color repositorii vndecimi aureus existit. Fingo igitur in illius loco primo, thronū imperialē insignibus imperii superaè exornatū, auro gemmisque squallidū, quo imperator diademate aureo coronatus altè sedet, cui nobiles nudato capite petitionē suam chartâ inscriptam exhibent.

Decima octaua. [*Cùm Philippus Macedonum rex, prolixam epistolam, ad Lacones miserat, qua non-nulla eis displicentia imperârat, responsum Lacones retulerunt vnica syllabâ* [*u*] *contentum, cuius characterem tam magnum scriptor effinxerat, vt iustam epistolæ magnitudinem præ se ferret. Idem Philippus alio tempore, eidem populo literis interminatus est, quòd si ipse semel eorum regionem inuaderet, funditus illos extirpare voluisset; Illi contrà nullum aliud responsum dederunt, nisi quod hoc vnico verbo* [*u*] *conclusum fuit, subinde intelligentes, rectè à Philippo hanc dictionem u insertam esse: Sperare enim se, illum in regionem suam nun-*

quam penetrare posse. Hinc ortum prouerbium, Laconica breuitas.] Idea recta est, siquidem hæ duæ dictiones Græcæ in duabus papyri schedis, margine vnum pollicem lato inauratis, tam magnæ ducendæ sunt, vt totam chartæ superficiem margine aureo interclusam, occupent. Illa deniq; σχεδισμα-ματα parieti opposito loci secundi, aliquâ surfuracea agglutinentur. Relatio è subiecto petitur: Possumus enim fingere hæc duo vocabula [ϰ ω] responsum continere petitioni prædictæ imperatori exhibitæ.

Decima nona. [*Ira furor breuis.*] Relatiuè in Saulo ista sententia exemplificatur: qui ira percitus, Ionathanem filium & hæredem sibi multò charissimum lancea transfigere conatus est. Fingo item lanceæ cuspidem esse argenteam, vt aliqua ex parte colore repositorii duodecimi imbuatur.

Sed non necesse est, vt in istis vlterius progrediar, quoniam ex antedictis satis liquere arbitror, quali idea quotquot occurrerint memorabilia exprimenda sunt, & quo loco reponenda. Et quidem, si omnes iam hu-

ius capitis ideas, libro non inspecto, suo ordine repetere tentaueris, modo eas in legendo bene aduertisti: haud dubito, quin magnam huic arti inesse constantiam, ingenuè fatebere.

Facile item quiuis intelligit, tametsi nullus admoneam, eandem esse rationem obseruationes concionis reponendi, quæ est obseruationum in symposio occurrentium.

Cap. 15.

De Dictatione & Repetitione.

PRætereà in exercitiis Dictandi, & Repetendi, praxis huius artis perspicuè cernitur.

Dictandi exercitium est, quo quis pluribus notariis ita dictat, quid cuique scribendum est, vt omnes simul scriptores dirigat, & exerceat. Vt si cuipiam è re fuerit, pluribus scribis eodem tempore dictare literas (cuiusmodi negotium in summa rerum concussione, magnis Ducibus, & belli præfectis quandoque forsan incumbit) Tum vnicuique notariorum peculiare repositorium assignari debet, quo ideæ negotiorum, sententiarúmque à se scribendarum suo ordine reponantur

nantur: Primo videlicet ſcribæ repoſitorium primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, quarto quartum, & ſic de reliquis, ſi plures extiterint: omnes itaque ideæ memorandorum quæ primum ſcribam oportet ſcribere, aliquid aureum ſibi attributum habere debent, omnes repoſitorii ſecuncundi aliquid argenteum tertii nigrum, quarti cyaneum, &c. Hîc etiam permittitur in vno loco repoſitorii binas aut etiam tres ideas vel plures ſi opus fuerit, collocare. Vniuerſis autem ſentẽtiis hoc ordine repoſitis, & mente priùs fideliter digeſtis, haud erit difficile, per ideam primã repoſitorii primi, notario primo dictare, quid ſibi primò ſcribendũ ſit: per ideã primã repoſitorii ſecundi, ſecundo ſcribæ ſuam primam ſententiam proferre; per primam repoſitorii tertii tertio ſuggerere, quid ſibi primò ſcribendum eſt. Adeóque cum cæteris notariis recto ordine progrediendo. Rurſus ex ideis ſecundis repoſitorii cuiuſque ſententias ſecũdas ſingulis ſcribis expromere facile eſt: ex tertiis tertias; ex quartis quartas: atque ita deinceps in reliquis.

Atque huiuſmodi eſt illud exercitium, quod à quibuſdam Ars Dictandi nuncupatur.

Repetendi exercitium eſt, quo quis ſententias, à pluribus hominibus acceptas ità repetit, vt cuilibet depoſita ſua certo ordine attribuat. Vt ſi ſex, ſeptem, aut plures familiarium tuorũ, tecum vnà aſſidentes memoriæ tuæ fœlicitatem explorandi gratia, ſententias diuerſas ſuis vicibus proferant, vt illas tecum depoſitas cuique reddas, eôdem ordine, quo accepiſti, vel diuerſo, ſi magis placeat: Tùm ideas ſententiarum à primo amico tibi commiſſarum in repoſitorio primo diſpones; à ſecundo prolatarum in ſecundo, à tertio in tertio, & ſic in cæteris. Quibus omnibus ſic digeſtis, perfacile exiſtit, ſingulis amicis ſua depoſita reſtituere, vel eôdem quo accepiſti ordine, vel etiam retrogrado, aut inuerſo.

Verùm iſta exemplis illuſtrare nequaquam placet; tùm quia omnia per ſe ex præmiſſis ſatìs manifeſta videntur, tùm verò etiam quòd dictandi & repetendi exercitia, niſi ad vanam memoriæ

moriæ ostentationem, vix & ne vix quidem vsum habent. Ideóque licet hîc inserui, eò feci, non quòd essent in vsum valdè necessaria, sed quia eorum cognitio, artem mnemonicam discentibus non videbatur superflua.

Cap. 16.
De repositionis anomalia.

RESTAT adhûc, de anomalia repositionis paucula subiungere.

Anomalia repositionis est vnica, cùm scilicet vice repositorii ficti, verum repositorium substituitur. Ea anomalia admittitur è duplici occasione oblata.

Primò, res ipsa præstò adstans, pro sua ipsius ideâ commode adhiberi potest. Vt, si musæo sedens in librum incidas, cuius quaterniones extra ordinem insuuntur, eúmque statuis, cùm musæo egrediêris, ad bibliopegum mittere emendandum. Tunc enim ad limitem ostii museoli liber ille deponendus est, vt egrediens librum conspicias, adeóque de illo negotio suscipiendo admoneâris. Sic etiam si atra-

mento careas, phyalam atramentariam iuxtà pones.

Secundò, cùm ideam vnicam, aut etiam plures, statim ab eiusdem repositione deponere expediet. Vt, si tibi cũ viro præpotente, ac diuite, sermonem nectenti, aliquid interim in mentem veniat, de quo expedire iudicas, vt illum qui-cum verbis mutas breui póstea alloquâris: Tùm eius rei ideam in eodem ædificio, prato, campo, vel quouis alio loco, vbicunque tunc fueris, omni abiecta morâ in sede quadam certa, quam oculus tuus designauit, repones, vt sic repositam illi statim proponas, quâm primùm occasionem oportunam nactus fueris. Vt si pergratum amico absente te facturum rêris, aliquid de illo aduersus hunc loqui, illum ipsum amicum, tibi ob oculos in designato quodam loco obuersari finges, neque ab oculis remotum judicabis, quoad illud amici officium candidè præstitisti. Aut si tibi etiamnum interueniat altera cogitatio, de ligno combustili emendo, cuius illi magna copia suppetit; ligni strueculam in alio loco aliquantulùm

distante,

distante, aceruari commentabere. Atque hæc de repositionis anomaliis.

Cap. 17.

De depositione ideali.

HActenùs de repositione ideali satis copiosè diximus: Iam tandem ad depositionem idealem accedamus.

Idealis depositio est, qua memoranda per ideas priùs reposita repetuntur, & à memoria deponuntur: locis memorialibus post depositionem vacuis relictis, vt ad nouas subinde ideas recipiendas apti fiant. Hîc autem siquando eueniat, vt idea negligentiùs reposita in depositione dispareat, tùm eiusdem reuocatio, à considerationibus sequentibus initis tentanda est.

Primò, hoc semper pro certo cognitum est, quòd idea quæque delitescens, vel quidem omnino vel aliqua saltem ex parte, colorem repositorij sui habeat: Ideirco primò quærendum est, quo respectu color repositorij ideæ quæsitæ conueniebat. Nam vel hac consideratione inita, ideæ latentes

tentes penè omnes extrahuntur.

Quòd si adhuc delitescat, tùm relatio indaganda est, quam habuit ad ideam in eodem repositorio locatam respectu situs, subjecti, aut actionis (cap. 14. reg. 4.) Cognita enim vna repositorij idea, alteram latêre non sinet: quin ex mutua relatione in mentem reuocata (qua tanquam concatenatæ fuerunt) vrgebitur egredi, nisi oscitabunda nimis repositio præcessit.

Insuper si nec ita prodire coegeris, At ex repetitione eorum facta, quæ in ideis reponendis præcipuè animaduerti solent (de quibus suprà cap. 13.) fortassis eruetur: Quærendo scilicet, An idea latens fuerit

Respectu speciei suæ
- Recta?
- Relatiua?
- Subdititia?
- Scriptilis?
- Composita?
- Duplex, triplex? &c.

Respectu subjecti
- De Deo?
- De Christo?
- De Spiritu sancto?
- De angelis?
- De homine?
- De animalibus? &c.

Respectu quantitatis
- Æqua?
- Aucta?
- Attenuata?

Respectu situs
- Subterranea?
- Humilis?
- Mensalis?
- Abacularia?
- Parietina? &c.

Respectu attributionis
- Mota?
- Quieta?
- Sonora?
- Odorem emittens?

Hisce enim quæstiunculis mente discussis idea sæpè reperitur.

Quòd si constat, ideam latentem esse quidem scriptilem, sed quænam sit inscriptio obliti sumus, Tùm proximè quærendum est fueritne dictio singularis, citatio, phrasis, sententia vnius clausulæ vel plurium. Déinde ad dictionem singularem, citationem, vel vocabulum in phrasi vel sententia præcipuum eruendum, litera prima ex repetitione alphabeti inquirenda est;

eôdem

eôdem prorsùs modo qui in secunda regula poeticæ reuocationis præscribitur. lib. 2. cap. 3.

Reliquæ per transcendentias & inanrationes suas reparantur. Vnica autem dictione cognita, reliquæ latere vix possunt.


Si verò idea se vsque retrahat, ad tertiam & quartam regulas poeticæ reuocationis lib. 2. cap. 3. confugiendum est. Sic enim idem idem idea eruitur.

Déniqùe, si ne sic quidem sit reparabilis, omninò transeat, nec sis diutiùs sollicitus de illius indagatione. Quemadmodum enim liber in musæo negligenter repositus, forsan cùm quæritur non reperitur, ne quidem si plurima volumina euertantur; qui tamen postea, cùm alius liber iuxtà positus quæritur, & ipse quoque præter expectationem inuenitur: Ita in hoc negotio multoties euenit, vt idea oscitanter reposita, tametsi cùm quæsita sit, inueniri nequeat, alio tamen tempore, cùm notio iuxta illam in cella mumoriæ reposita excitatur, ipsa quoque excussa sponte prosiliet.

Has itaque ideam latentem reuocandi

uocandi rationes, prudenter adhibitas, si tu velut Ariadnes filum sequutus fueris, è labyrintho cæcæ obliuionis procul dubio te expedies, sententiásque latentes & ideas euanidas, penéque extinctas mira cum facilitate reuocabis.

FINIS.



DE MEMORIA Naturali fouenda *libellus.*

Cap. 1.

De memoriam debilitantibus.

MEmoria naturalis eſt facultatas, quam quiſque à naturâ habet, ad memoranda appræhēdenda, & retinenda. Ea ſi probè ſuo munere fungatur, danda eſt opera, vt illæſa cōſeruetur: ſin labefactata fuerit, ratio ineunda eſt, vt reſtituatur, & erigatur. Primùm igitur de memoriæ naturalis illæſæ conſeruatione: Déinde de eiuſdem labefactatæ reſtitutione differendum.

Ad memoriam naturalem illæſam in bono ſtatu conſeruandam, tria conducunt. Nempè Declinatio ab iis, quæ memoriam debilitant; vſus eo-

rum

rum, quæ reficiunt: & Recta vitam instituendi ratio, qua facultas memoratiua maximè vigorêtur.

Memoriam debilitantia sunt ista.

1. Aër insaluber; Nimirum, 1. Infectus halitu stagnorum, paludum, syluarum, ergastuli, sterquilinij, cloacæ, &c.

2. Occlusus à venti solisque penetratione. Aër enim qui sole & vento non purgatur, malignam & venenosam induit qualitatem, non secùs atque aqua immota lacubus stagnans. Ideoque cùm forâs exiturus es, musæi & cubiculi fenestras apertas relinquito.

3. Ventosus: Validis nempè ventis perturbatus.

4. Imbrifex.

5. Præhumidus: qualis ante occasum solis (præsertim in locis maritimis) descendit noctéque tota terræ incubat, & parte aliqua temporis matutini. Itaque ne forâs exeas, priusquam sol exortus aerem calore suo depurauit: Neque etiam sub solis occasu, postquam nebulosa noctis caligo aerem inuasit.

6. Aer combustilium grauεolentium:

um: qualia sunt anthraces fossiles, alga, caspites palustres, fimus, carbones etiam lignei, nisi aliquandiu accensi fuerint.

II. Secundò, memoriam lædunt, Ceruisia. brodialia, & decoctiones, ex aqua insalubri composita; qualis est aqua stagnans, palustris, crassa, salsa, amara, malè olens, glacialis & niualis, quæ scilicet è glacie vel niue solutâ oritur.

Inter aquas verò vsui domestico inseruientes, præcipuè laudatur aqua pluuiatilis, potissimùm quæ cum fulgure aut tonitru decidit, (hæc est enim omnium leuissima) sed præsenti tantùmmodo occasioni inseruiet, quippe quæ citò corrumpitur. Proximè huic laudatur aqua fontana, quæ scilicet à montibus per loca saxôsa, & scopulos confragosos decidit. Deinde vnda fluuiatilis, hausta nimirum à flumine, cujus alueus est profundus & sabulosus. Huic succedit aqua putealis, quæ si limum oleat, puteum primò depurgabis, ejiciendo limum, posteà in ejusdem fundo magnam cretæ copiam substernes: per quam aqua ebulliens per-

percolata salubrior fiat. Denique aqua eò salubrior est, quo clarior, leuior, omnis odoris & saporis magis expers, æstate frigidior, hyeme calidior, existit.

III. Tertiò, memoriæ offendunt alimenta,

1. Cruda: Qualia sunt carnes crudæ, aqua incocta, fructus immaturi, herbæ virides, præcipuè naturâ frigidæ, &c.

2. Vaporosa: Quæ videlicet caput crassis vaporibus implent: qualia sunt potus grossi, vina fortiora, fabæ, pisa, allium, cepæ, &c. Cepæ verò plùs nocent reliquis, quippe quæ ne decoctæ quidem suam malignitatem deponunt; sed etiámnum dolorem capitis adferunt, oculos lædunt neruos opticos obstruendo, sensus hebetant, somnúmque turbulentum faciunt.

3. Pituitosa; & præhumida: vt lac, pipiones implumes, nefrendes, &c. maxime si lentôrem adiunctum habeant.

4. Tardè digesta, vt: caseus, medulla ossium, pinguedo præsertim piscium, caro gruum & ardearum, fructus

fructus nucleati: vt iuglandes, nuces auellanæ, castaneæ, amigdala &c.

5. Alimenta diuersorum generum. Varietas enim omnium ciborum, quantumuis salubrium, mala est, tùm verò condimentorum pessima, quoniam ventriculus, cùm variæ naturæ cibaria concoquit, plurimùm laborat.

Nihilóminus quamdiu bona fueris valetudine, quibuslibet eduliis vesci licet, etiam quæ parùm nocent, modò appetitus illa multùm desiderat. Quos enim cibos appetitus valdè cupit, eos ventriculus auidissimè complectitur, citiùs concoquit, & ad inferiora transmittit, vndè minùs lædunt. In prandio tamen tutius est, quàm in cœna tales cibos esse.

IV. Omnis repletio potus, aut cibi nocet, præcipuè panis. Nimia enim repletio ingenium hebetat, & reminiscendi facultati inimicissima est. Negátque Plato in Theæteto, benè esse animæ in corpore cœnoso. Sæpéque vsu-venire cernimus, quòd siquis vir doctus & sapiens, parcè præ inopiâ suâ primò viuens, ad gradum aliquem dignitatis vel honoris fastigiũ repentè exaltatus

exaltatus fuerit, genioq; largiter edendo & potando nimium indulserit, exinde minùs doctus, & sapiens euadit. Ratio est, quoniam accessione humorum crassorum in cerebrum, figuræ notionum in illo priùs impressæ complanantur, & paulatim delentur: Nouæque etiam figuræ non tam altam impressionem faciunt, quin nimia cerebri humiditate breui diffluent. Fugiantur itaque tanquam reminiscendi facultati inimicissima ebrietas & crapula.

V. Quintò, somnus memoriam offendit, Si sit 1. Nimius. 2. In loco ventoso, vel sub radiis lunaribus captus. 3. Diurnus: præcipuè pedibus calceatis & vdis. 4. Supinus: Nam prohibet excrementa oris & narium per meatus proprios secerni, cogitque illa ad spinam defluere, vndè item obstructio oritur. 5. Pronus: Qui oculos etiam valdè lædit, iisque propterea multo inimicissimus est, quorum oculi humorum fluxu laborant.

VI. Venus, 1. Si sit Immodica. 2. Cùm stomachus repletione distenditur. 3. Cùm corpus est minimè humidum

midum, vt in nouilunio, in tempore famis &c. 4. Quam somnus non sequitur. Requiritur enim, vt superueniente somno membra corporis laxa reficiantur. Sed à venere prorsus abstinere debent impuberes, senes, omnesque frigidi, nec non illi omnes, qui a coitu grauantur.

VII. Frigiditas occipitij, ceruicis, stomachi, ventris, et pedum.

VIII. Labor vel exercitatio corporis, 1. Immoderatus: quippe qui vires exhaurit. 2. In locis ventosis aut humidis. 3. Cùm stomachus repletur. Crudis enim vaporibus caput implet, & flauam bilem auget.

IX. Inertia.

X. Animæ perturbationes, vt: curarum varietas, timor, dolor, pudor immodicus, spes auida, zelotypia, &c.

XI. Prauæ concupiscentiæ, vt: auaritia, inuidia, vindictæ sitis, libido, amor meretricius, & ardens amoris passio.

XII. Responsiones temerariæ.

XIII. Tumultuaria librorum lectio, qualis in pædagogiis ludisque litera-

literarijs personat.

XIV. Nocturnæ lucubrationes.

XV. Capilli longiores.

XVI. Capitis in aquam immersio aut vnda frigida perlutio.

XVII. Mentis distractio ad diuersa studia eodem tempore: vt si ludimagister priuato studio simul incumberet, & discipulis lectionem suam repetentibus attenderet.

Cap. 2.
De memoriam reficientibus.

Hæc sequentia memoriã reficiunt.

I. Aer saluber: qualis est clarus, luminosus, suauis, apertus, mitis, oriente sole citò calesens, occidente citò frigescens.

II. Odôres rerum suaueolentium. Hi enim cor, cerebrum, mentemque reficiunt, spiritus quodam modo nutriunt, cerebrúmque tenaci qualitate induunt, eóque nomine ad ideas retinendas aptius. Cuius rei fidem facit, quòd mellis substantia tenax est, quæ ex florum effluuio cum rore matutino misto fit.

III. Inter

III. Inter alimenta. 1. Cibi omnes boni ſucci, qui ſcilicet defecatum & ſpirituoſum ſanguinem procreant: quales ſunt capones, perdices, phaſiani, caro veruecina, & caprina, ſimiléſque cibi, qui purum corpori ſuccum præbent.

2. Cerebrum perdicis, paſſeris, leporis, cuniculi, & gallinæ. Quæ cùm aliorum animalium cerebris ſicciora ſunt, memoriam plurimum adiuuare putantur. Etenim (ſi fides habeatur Wekero) cerebrum gallinarum frequenter comeſtum delirantes quoſdam reſtituit.

3. Iſtæ herbæ condimentis adhibitæ: apiaſtrum, meliſſophyllum, bugloſſa, naſturcium, (vnde Prouerbium, Ede naſturcium) ſatureia, hera, pulegium, hyſſopus, thymus, nigella, flores roſmarini, carduus benedictus. Hæ ſiquidem herbæ, non modò ad reminiſcentiam acuendam valdè conducunt: ſed mentem etiam exhilarant, & in fine cœnæ ſumptæ ſomnia iucunda faciunt.

IV. Pedum lotio ſemel menſe. in aqua moderatè calida, qua meliſſophyllum

phyllum, chamæmelũ, lauri folia, aliæque suaueolentes herbæ ebullierint.

V. Exercitatio.

1. Si sit moderata: Namque hâc excrementa inutilia excernuntur, insitúsque calor augetur, spirituúmque motus liberior fit: vnde corpus robustius euadit, & anima ad sua munera exequenda aptior redditur.

2. Talis, qua & anima oblectetur, & singulæ corporis partes exerceantur, etiam thorax, & pulmones in vociferatione: qualia sunt sagittatio, sphæromachia, venatus, aucupium, sed à Galeno præcipuè laudatur pilæ palmariæ concertatio.

3. Quæ fit Ventriculo vacuo existente, &c.

4. In locis amœnis, miniméque ventosis.

Sed exercitatio in principio debet esse remissior, in medio validior, in fine tardior. Porrò præparatio ad exercitia fiat excrementorum alui, vesicæ, narium, &c. expeditione, membrorúmque extensione. Post exercitationem item requiruntur membrorum extensio, frictio corporis medio-

eris cum panno lineo calido, & spiritus identidem cohibitio: Déniqué vestimentis benè accinctis molliter ambulandum, foràs quidem miti aurâ spirante, alioqui sub tecto. Qui autem impensè calidi & sicci sunt, ab exercitationibus laboriosis abstinere debent, & leuioribus vti, quæ ad sudorem minùs prouocant.

Cap. 3.
De vita formanda.

SVperest canones quosdam de vita (præsertim studiosorum in quorum gratiam hæc potissimum scribuntur) sic instituenda astruere, vt facultas memoratiua promoueatur. Canones igitur hac de re sunt huiusmodi.

Can. 1. Dei auxilium assiduis precibus flagitandum est, vt diuina sua gratiâ animas nostras sanctificet. Sicut enim mites corporum cœlestium influentiæ, in corpora nostra immediatè transfusæ, bono eiusdem statui multùm conferunt: sic influentiæ diuinæ gratiæ in animas nostras à deo infusæ, longè plurimùm eas reficiunt,

&

& recreant. Influentiæ autem diuinæ, cùm fiant semper voluntariæ, nulla certè ratio existit, bonam dei voluntatem nobis conciliandi, pijs supplicationibus in Christo factis fortior, aut efficacior. Vt testatur Iacobus Epist. cap. 5. vers. 16. & 17. Nec inscitè illud; *Cedunt astra deo, precibus deus ipse suorũ.*

Can. II. Sit caput quotidiè retrorsum pexum, vt sordes à radicibus capillorũ laxentur, & id quidẽ stomacho jejuno, postquam te manè parauerls. Nam pectinatio si fiat, corpore cibo distento, admodum nocet, humores in venas alliciendo.

Can. III. Excrementa oris expuendo, pulmônum excreando, & narium emungendo, quoties mouent, vacuanda sunt. Melius est enim superfluitates eiusmodi per os & nares secernere, quàm inglutiendo stomachum excrementis onerare. A stomacho namque fœculento, impuri in cerebrum vapores exhalantur, vnde memoria non-nihil afficitur.

Can. IV. Vrina, ventris onus, & flatus primo irritamento excernantur. Multi enim retinendo vrinam, & ex-

crementa alia in periculosos lethalésque morbos inciderunt.

Can. V. Ab omnibus vacuationibus medicinâ coactis, (quales per purgationes, vomitus, aut phlebotomiam fiunt) penitùs abstineas, nisi summa te necessitas vrgeat. Nam venæ sectio, & pharmaca, præter malos humores, quos proliciunt, bonos etiam ac vtiles nec non spiritus vitales excernunt, vndè virtus naturalis aliquantulùm dissoluitur. Ideóque Plato in Timæo interdixit, ne medicinis corpora moueâmus, cùm corporis curatio aliter perfici possit.

Can. VI. Duodecim plùs minùs vuas passas, lapillis extractis, quotidiè vice ientaculi comedere sine potu, non solùm memoriæ prodest, sed stomachum ac iecur confortat, pituitam minuit, sanguinem auget, ac iuuentutem conseruat.

Can. VII. Cœna prandio sit largior, quia temporis interstitium longius sequitur. Qui verò nocturnis distillationibus affliguntur, (vt senes & natura frigidi) illorum prandium cœnâ largius esse oportet. Inter edendum

autem

autem edulia calida frigidis præmittãtur, concoctu facilia concoctu difficilibus, & liquida ſolidis, vt è ventriculo citiùs expediantur. Prætereà cibus omnis ſolidus bonam maſticationem requirit, potúſque ſenſim hauriendus eſt. In primis autem cauendum, ne tempus edendo potandóque protrudamus. Non minùs enim lædit nimis lenta, quàm nimis auida comeſtio. Stomachus item claudatur aut fruſtâ panis, aut coriandris ſaccharo inductis, cotoneorum conſeruis, pyro furno indurato, aut ſimilibus. Denique alimenti quantitas viribus ſumentis, non orexi reſpondeat. Aliud enim homini, aliud humanitati ſatis: inquit Varro.

VIII. Horæ conſuetæ ſumendi alimentum obſeruentur. Cupit enim natura ſtatis horis officium in coquendo agere, vti in febribus intermittentium paroxyſmis apertè videre eſt. Inſuper poſt cœnam, non omninò bibendum (nam ſomnus ſuperueniens ſatis humectabit) neque etiam inter prandium & cœnam, niſi valdè ſitias, aut tali conſuetudini aſſueueris: quæ

tamen consuetudo vitiosa est, ideóque paulatim immutanda.

IX. Post cibum sumptum à labore abstineas cùm corporis tùm mentis. Et vnam horam aut circiter iucundis cum alijs sermonibus stando, sedendo, vel mollibus passibus ambulando transigas. Sessio autem ad focum post refectionem, multùm impedit digestionem, calorem naturalem ad exteriora euocando. Abstineas itidem post cœnam tantundem temporis à somno. Plurimùm enim cerebrum nocet, stomacho impleto dormire.

Can. 10. Cùm lectum petis, claudantur cubiculi fenestræ omnes, vt ne ventus introeat: quin & cadurca protendantur, ne radij lunares fenestram penetrantes dormientem feriant. Sub radijs enim lunaribus dormire grauedinem capiti infert, licet vigilantibus non noceat. Caput autem auréſque cooperiantur: Nimia autem coopertura debilitatur caput. Præterea in ipso discubitu, primùm in latus dextrum discumbe, capite tantum eleuato, vt altitudine æquet humerum sinistrum, brachijs cruribusque modicè contractis,

ctis, vt ista corporis positurâ calor ventriculi augeatur. Porrò autem cùm euigilaueris in sinistrum latus verte, & rursum si expergisceris in dextrum cruribus exinde protensis. Somnus porrò vigilijs æqualis esto, non quidem tempore, sed proportione: vt ne vigilijs cerebrum nimis exiccêtur, nec somno nimio plùs æquo humectêtur.

Can. XI. Vitæ socios & consortes tibi elige viros doctos beneque moratos: talésque, quoad fieri potest, quorum familiaritate ipse melior & doctior fias: non illos, quos tu meliores è consortio tuo feceris. Nos etenim infici eorum moribus, quibuscum viuimus, argumento est, quòd qui inter agricolas educantur agrestes sunt moribus, qui cum pijs versantur religionem sapiunt, qui cum doctis degunt doctiores euadunt, quique inter malè moratos nobilium famulos viuunt, scurræ plerumque & bibaculi euadunt. Imò verò consuetudo illorum quibuscum viuimus, ad mores efformandos efficacior existit, quàm ipsa naturalis inclinatio. Non potes ergo in con-

ſortibus eligendis nimis eſſe curioſus.

Can. XII. Mens in aliquibus ſaltem ſententijs memoriter ediſcendis (etiam cùm opus non ſit) asſiduè exercenda eſt, vt vſu & exercitio quotidiano reminiſcendi facultas vegetêtur. Nam ſicut corporis vires labore & exercitatione iugi augentur, ignauiâ verò & intermisſione laboris minuuntur: Ità anima asſiduo bonarum literarum ſtudio aſſuefacta vigeratur, intermisſione verò ac deſuetudine torpet. Et ſicut frequens diſputatio peritũ logicum, & frequens peroratio diſertum oratorem reddit: ſic frequens memoriter ediſcendi praxis memoriam promptiorem facit. Nihil eſt enim (ait Ludouicus Viues) quod magis opere & labore gaudeat, nihil quod facilius corrumpatur & intereat quiete ac otio, quàm memoria. Quocircâ aliquid quotidiè ediſcendum eſt, vel etiam cùm non ſit neceſſe, tantùm ne torpor memoriam inuadat quo nullus eſt illi morbus perniciosior. Hinc duo illi verſiculi centonem apte conſtituunt: videlicet, (1) miſcellanea

Sæpe

Sæpe recordari medicamine fortius omni.
Solus & artificem qui facit, vsus erit.

Can. XIII. Tempus studijs aptissimum est, cùm ventriculus est vacuus. Tunc enim purissimi spiritus à corde in cerebrum ascendunt. Hinc aurora dicitur musis gratissima. Prodest etiam, vt quicquid die commentati sumus, noctû summâtim repetamus, antequam lectum petimus. Quæ eadem consuetudo Pythagoræ fuisse dicitur. Mirum verò dictu, nec in promptu ratio (ait Quintilianus) quãtum interposita nox adferat firmitatis, siue quiescit labor ille, siue maturatur, & coquitur. At verò vbi somnus primùm excussus fuerit, ea rursus repetenda sunt, quæ vesperi ante somnum meditabamur: Alioqui parùm proderit illa meditatio vespertina.

Can. XIV. Ne illi studio professioníue te addicas, cui per naturam ineptus es. Quamcunque autem professionem consultò delegeris, eâdem delectêris, omnémque in eâ studenda diligentiam fac impendas, & plùs interesse puta, in professione tua eru-

ditum esse, quàm de cunctis alijs artibus leuiter disputare posse.

Can. XV. Addicas te instructori in professione quam elegisti, peritissimo: cui summa cum admiratione, tanquam oracula profundenti auscultes: Nec præceptorem deseras, donec abditissima professionis mysteria cognoscas. Multi enim in summos euaderent viros, nisi tamdiu esse discipulos puderet.

Can. XVI. Autôres, quos leges, optimi sunto: qui scilicet libros nugis non farciunt. Cum enim ne cogitare quidem possumus, quin spiritus consumamus, videndum est, ne in hominum rudium, indoctorúmque commentarijs legendis exhauriantur.

Can. XVII. Ne cupias multa legere, sed quæ legis, perfectè intelligere. Quemadmodum enim non multum edere, sed comestum benè digerere corporis sanitati confert: Sic menti vtilior est deliberata lectio, quàm auida.

Can. XVIII. Methodum breuissimam in studiis sectêris. Siquis enim iter facturus, viam breuissimam, planissimam-

nisſimámque inſiſtat, minùs is veſperi fatigabitur, quàm qui in loca prærupta, latebráſque viarum deflexerit: Ità etiam hîc fit. Omnis enim ſcientia faciliùs & expeditiùs attingitur, quo ſuccinctiorem methodum in eâ addiſcenda obſeruamus.

Can. XIX. Ne ſolitariæ lectioni totus incumbas: ſed alios, ſi poteris, tibi comites in ſtudiis adiungas, ſaltem de rebus ad bonam diſciplinam ſpectantibus frequentisſimus tibi ſit cum alijs ſermo. Mutua ſiquidem cum allijs de quæſtionibus vtilibus collatio, non modò in ſtudijs te plurimùm promouebit: ſed linguæ etiam promptitudinem adferet, & ad publicè loquendum magis idoneum reddet.

Can. XX. Denique, ſiquando mens tua in ſtudiis diſtrahatur, eandem pro tempore relaxa. Melius eſt enim ſtudium intermittere, quàm mentis aciem obtundere. *Arcus enim ſi nunquã ceſſes tendere, lentus erit*, vt cecinit Poeta. Recreationes ſolius animæ ſunt muſica, cum facetis ac lepidis confabulatio, ſpectaculorum ſolennium inſpectatio, & eiuſmodi. Sed & corporis

ris exercitationi, aliquod temporis interstitium quotidiè concedendum est: non illud tamen matutinum (hoc enim grauioribus studijs debetur) sed pomeridianum, aliquantisper ante cœnam, morâ intercedente inter exercitationem & cœnam, vt calor motu excitatus introrsum priùs redeat, quàm cibum sumis.

Cap. 4.

De memoriæ debilitatæ restitutione.

ADhûc de memoriæ naturalis illæsæ in suo statu conseruatione loquutus sum: Iam sequitur, vt de eiusdem debilitatæ restitutione agam.

Memoriæ naturalis debilitatio è nimia cerebri calore, frigore, humiditate, vel siccitate oritur. Superfluus enim calor spiritus animales exquoquit, & consumit. Frigiditas nimia motũ spirituum, qui in concauitatibus cerebri insunt, impedit. Siccitas superflua duritiâ sua obsistit, vt ne species insigillentur. Humorum redundantiæ formas intelligibilium, simul atque imprimuntur, subsidere faciunt, &

com-

complanant. Quòd si duæ simul qualitates excesserint, (vt si cerebrum sit calidum & humidum, frigidum & humidum, calidum & siccum, aut frigidum & siccum,) eò magis cerebrum, adeóque memoria infestatur. Itaque in calore & humore cerebri augendo, & minuendo, situm est omne memoriæ debilitatæ erigendæ negotium.

Sed memoriæ debilitas vel leuior est, vel in morbum transiit. Si leuior sit, vtpote quæ ex mala diæta, vel praua consuetudine oritur, tùm eæ obseruandæ sunt cuique præceptiones, quæ ijs pro ratione temperaturæ suæ capite sexto specialiter assignantur: non interim neglectis generali diæta priùs præscriptâ, & communi illa viuendi regulâ, in superiori capite traditâ, quatenùs cum suo temperamento consentire persenserit.

Sed quò meliùs quisque de cerebri sui temperamento dijudicare possit, indicia temperamentorum cerebri, quæ in doctis medicorum operibus perlegi, summâtim hîc recensere non pigebit. Quanquam enim temperamenta cerebri, quoad gradus qualita-

tum, innumera planè existunt, Ad nouem tamen generaliora reducantur. Quorum signa breuibus demonstrabo.

Cap. 5.

De temperamentis cerebri diiudicandis.

PRimùm igitur, signa cerebri temperati sunt ista, Qui temperati sunt cerebri, non offenduntur calore, frigore, humiditate, vel siccitate extrinsecùs adueniente. Sunt etiam sensibus integri, ad disciplinas bonásque artes ediscendas, longè aptissimi, & in cupiditates perturbationésque animi non præcipites. Insomnia sunt ijs leuia & jucunda, non-nunquam se volare somniant, quod quidem insomnium indè prouenit, quòd corpus nullis excrementis grauatum, summam leuitatem, & agilitatem induisse videtur: Interdum astra, aliáque splendida per insomnia vident. Crinium color,(modò in temperata regione degunt) dum pueri sunt subflauus est, cùm viri existunt, flauus, & tunc etiam capilli

pilli crispescunt. In senectute tardè canescunt, nec facile caluescunt. Denique illis omnia mediocria sunt, tam in actionibus animalibus (quales sunt pulsus, respiratio, somnus &c.) quam in redundantiis. Aurium siquidem cerumen, narium mucôr, oris saliua, reliquarumque partium superfluitates, in mediocri quantitate, & qualitate depræhenduntur.

II. Signa cerebri calidi. Cùm viget in cerebro caliditas, caput est tactu calidum, partésq; circa caput calidæ et rubescentes, oculi rubri & citò mouentes, venæque conspicuæ. Citò post natalem, capilli oriuntur, valdè crescunt. Et qui multò calidiores sunt temperatis, eorum capilli sunt nigri, crispi, duri: Ingruente verò senectute defluunt, & caluities sequitur. Superfluitates palati, narium, oculorum, & aurium, paucæ, molles, & flaccidæ. Somnus breuis, & non profundus. Grauatur caput escis, potionibúsque & odoramentis calidis, eóque magis, si caliditas naturalis sit. Pulsus & respiratio incitatiores temperatis cerebri. Memoriâ pollent, ad actiones velôces

velôces sunt, in iracundiam & Venerē proni, & sensus habent integros.

III. Signa cerebri frigidi: Si dominatur frigiditas, caput est tactu frigidum. In facie vix rubor vllus apparet, isque superueniente frigore, vertitur in liuidum. Oculi debiles, eorúmque venæ inconspicuæ. Pulsus & respiratio tardiores temperatis. Capilli multò post natalem oriuntur: suntque tenues, plani, stabiles, canescentes sine caluitie. Caput a calore nunquam læditur, sed à refrigerantibus causis facilè offenditur: vnde frequentes distillationes, catarrhi, & obstipationes nariū prouenient. Somniculosi sunt, timidi, ad actiones segnes, ad iram tardi, Venerisque minùs appetentes. Memoria ipsorum est tarda, mens stupida, & sensus debiles, præcipuè auditus. Sunt etiam in vertiginem proni.

IV. Signa cerebri humidi. Humiditate dominante capilli simplices sunt, & copiosi. Nam copia capillorum ex humore, sicut color eorum, à calore manat. Vnde qui cerebro sunt humido, nunquam caluescunt. Humore itē crines madent, aereo qui-

dem,

dem, oleoso & pingue, si ab humôre natiuo cerebri exudat: Aqueo verò, exili, & tenui, si ab humiditate praeternaturali cerebri dimanat. Porrò hebetes sunt, & ad actiones pigri. Nuper elapsa benè memoria seruant, olim gesta obliuiscuntur.

Olfactum valdè debilem habent, sensúsque reliquos caliginôsos. Excrementis abundant, quae è naribus, ore, oculis, prouenniunt. Somnus eorum grauis est, & profundus. Nonnunquam somniant se in periculo esse, nec tamen posse loco mouere, quod eò accidit, quia corpus superfluitatibus onustum pigrum efficitur.

V. *Signa cerebri sicci.* Quorum cerebrū siccum existit, illi tardè discunt, & tardè obliuiscuntur. Superfluitates narium, oculorum, & palati, paucae sunt: aurium verò cerumen multùm. Oculi sunt cauati. Capilli duriores, & crispi. Ipsique celeriter calui fiunt.

VI. *Signa cerebri calidi & humidi.* Qui cerebrum habent calidum & humidum, eorum caput est calidum, humores etiam per suturas cranij exudant. Color faciei bonus est, oculo-

rum

rum venæ conſpicuæ. Capilli copioſi, recti & flaueſcentes. Senſus hebetiores ſunt. Tardè ipſi calueſcunt. Venerem facilè ferunt. Motu tardiores exiſtunt, quàm temperati. In iram propenſi, nec tamen feri. Multùm vigilare nequeunt: ſunt tamen vigilâces. Viſiones ſæpè in ſomnijs habent caliginoſas. Excrementa copioſa ſunt.

VII. *Signa cerebri calidi & ſicci.* Qui cerebro calido, & ſicco exiſtunt, ij ſunt corpore graciles, articulis tamen & muſculis firmiter connexo. Venæ illorum ſunt magnæ. Senſus omnes integri. Motus perfectus, & velox. Vox grauis, & ſonora. Cutis dura ac fuſca. Capitis pili citò creſcunt, colore nigri ſunt ac criſpi. Ipſi valdè hirſuti ſunt corpore, & præproperè calui fiunt. Ingenio & memoria pollent, ſed mobiles ſunt in opinionibus ſuis. Somnus eorum leuis eſt, & breuis. Et inſomnia plerúmque de igneis. Citò ſatiantur. Excrementis minimè redundant. Audaces ſunt, ſuperbi, liberales, temerarij, in venerem procliues.

VIII. *Signa cerebri frigidi & humidi.* Quibus

Quibus cerebrum est humidum & frigidum, eorum sensus sunt obtusiores, pulsus mollis, motus tardus, caput superfluitatibus repletum : vndè distillationibus, nariúmque obstipationibus obnoxij sunt. Somnus eorum multus est, grauis, & profundus. Somnia sæpè sunt de aquis, & meteoris aqueis, niue, pluuia, grandine, &c. Non caluescunt. Iræ minimè tenâces existunt. Denique superfluis excrementis redundant.

IX. *Signa cerebri frigidi & sicci.* Qui cerebrum frigidum & siccum habent, ij habent in iuuentute sensus integros, & illæsos : sed statim à iuuentute debilitari incipiunt. Citò senescunt, & canescunt. Oculorum venæ sunt inconspicuæ. Excrementis non redundant : A frigidis tamen causis facilè læduntur. Vident sæpè in somnijs fumum, caliginem, profundásque tenebras. Si frigus siccitati dominetur, tardiùs caluescunt; si siccitas frigori, citiùs. Respiratio, & pulsus tardiores, & rariores. Corpus duriusculum. Sanguinis copia exigua. Postremò, incitati ægrè iram deponunt.

De

Cap. 6.

De diæta cuique temperamento congrua.

EXpositis iam temperamentorum cerebri indicijs: proximùm est, vt specialem cuiq; temperamento diætam suo ordine assignem. Transeat modò temperamentorum primum, (quod scilicet ex æquali commixtione 4. qualitatum oritur) quoniam quicunque hanc habent cerebri temperaturam, vel huic affinem, in mediocri latitudine positam, eius memoria benè habet, neque proptérea medicis præceptionibus indiget. Tantúmmodo illi incumbit, cùm memoriam illæsam habeat, eandem illæsam conseruare, effugiendo quæ memoratrici facultati sunt perniciosa, adhibendo quæ vtilia: de quibus suprà.

II. Iam verò si cerebrum in calidum nimis deflexerit, enitendum est vt calor ille minuatur. Quisquis igitur nimiâ cerebri caliditate infestatur, eum abstinere oportet ab omnibus calorem augentibus, vel excitantibus, qualia

qualia sunt plurimæ species aromaticæ, vt piper, gingiber, garyophilli &c. Item vina omnia, potusque fortiores, allium &c. Vitet etiam vehementem corporis exercitationem, nec non soles æstiuos, præsertim meridianos, tùm vel maximè à cibo. Post cœnam ne omninò studeat. A cibis, fructus frigidos, & austeros edat. Odoramenta frigida sæpè adoleat; qualia sunt violæ, rosæ, sandalis, camphora natiua, myrtus, aqua rosarum, flores periclymeni, verbasculum &c. Nonnihil etiam spiritus recreat, in hortis, vbi flores herbæque suaueolentes spirant, sub vmbrâ ambulare. Prætérea, postquàm manè vestimenta induit, faciem aqua frigida lauet, ocuIósque immergens, palpebras interim aperiat, vt vndâ gelida ipsos oculos perfundat, & refrigeret. Idem quoq; vesperi, cùm lectum, petit faciat. Sed insuper tempora, duásque supremas spondylas oleo rosaceo inungat. Hæc enim vnctio, præterquàm quòd cerebri calorem imminuit, somnum item conciliat. Somno autem, qui cerebrum habent calidum, admodum indigent.

III. Si

III. Si cerebrum nimis frigidum sit, tùm abstinentiâ à refrigerantibus, & vsu calidorum erigendum est. Qui igitur cerebrum frigidum habet, ab omnibus abstineat, quibus cerebrum infrigidatur: qualia sunt lactucæ, melônes, panis acerosus, animalium cerebrum præhumidum (vt cerebrum vitulinum, cerebrum nefrendum, &c.) fructus item immaturi, herbæ virides, aqua incocta, &c. Lunam vitet, ventósque aquilonares, Calidis escis vtatur. Multùm etiam conferunt hæ species aromaticæ; piper, garyophylli, cynamomum, macer, nux myristica, gingiber, iuniperi grana, ramenta eboris, & similia. Confortant etiam cerebrum frigidum odoramenta calida. Calidum autem odorem exhalant apiastrum, menthæ, galanga, rosmarinus, lignum aloes, poma aurantia, ambra, muscus, &c. Porrò gingiber conditum, ad quantitatem nucis auellanæ, bis aut ter qualibet hebdomade, ieiuno stomacho comestum, multùm prodest cerebro frigido. Idem præstat vinum cos (id est, coloris, odoris, saporis optimi) moderatè sumptum.

Expedit

Expedit etiam ſemel menſe nucham, ceruicẽ, et pedes, cùm it cubitũ, aqua tepida lauare, qua decocta ſunt apiaſtrum, chamamælum, ſaluia, lauri folia, hyſſopus, fœniculus, ſampſuchum, & eiuſmodi. Denique oleum anethy-num, vel rutaceum tepidum occipitio, ac duabus ſupremis ſpondylis inunctum, plurimùm adiuuat memoriam à frigida cauſa læſam.

IV. Si cerebrum ſuperfluis humoribus redundat, tùm danda eſt opera, vt abſumptis humoribus, cerebrum ad priſtinum ſtatum retroducatur. Cuius ergò cerebrum eſt nimis humidum, ob omnibus humidis & pituitoſis abſtineat: cuius generis ſunt brodialia, juſcula, lac, caro ſuilla, præcipuè nefrendum, agnelli nuper enixio, pipiones implumes, melones, & ſimilia. Nec non deſiſtat ab allio, cepis, potúque fortiori, cunctiſque alijs, quæ craſſis vaporibus cerebrum implent. Inſuper nutrimentum eius omnis lentôris expers eſſe debet, nè alioqui per conflationem materiæ phlegmaticæ in cerebro, lentôre alimenti, apoplexia, lethargia vel paralyſis inducatur.

Præ-

Prætérea, quodcunque edit, sale esto bene conditum: Sal enim valdè exiccat humores phlegmaticos, & discindit, spiritus rarefacit, humidisque cerebris præ alijs omnibus condimentis prodest. Fugiat ventos australes, & omnia caput humoribus replentia. Masticatio pyrethri & mastiches cum gingibere caput a phlegmaticis superfluitatibus admodum expurgat. Idem effectum producit saluia in ore aliquandiu tenta; prodest etiam, quando itur cubitum thuris albissimi granum deglutire. Quòd attinet ad petum vel nicotianam, (quod & idem ab insula Tobacque tobacco dicitur) cerebris præhumidis prodest, modò rarò sumatur, & non nisi cùm cerebrum superfluitatibus plus solito scatet: Verùm nimius eiusdem vsus innatum cerebri humorem exiccat, & per accidens rheumatis & distillationibus replet. Sicut enim puteus eò magis aquis abundat, quò sæpiùs crateris exhauritur: Ita caput maiori humorum copia indies repletur, cùm fumo nicotiano quotidiè euacuatur. Succus autem malorum citreorum ieiuno stomacho identidem

sumptus,

sumptus, ad phlegmaticam materiam digerendam fumo Nicotiano multò præstantius est. Quod neminē (puto) inficiaturum experimentum qui fecerit.

V. Si cerebrum nimis siccum fuerit, tum humectātibus leniendum est. Abstineat ergò qui cerebum siccum habet à cibis salsis, & omnibus exiccantibus. Eurum vitet. Cibis vescatur humidis & succulentis: qualia sunt oua sorbilia, capones, phasiani, aues montanæ, caro hœdina, caseus recēs salis expers, pisces fluuijs sabulosis capti, lac, brodialia, cerasa, pruna, malagranata, ficus, melones, succoria, endiuia, lactuca, & eiusmodi. Potus sit valdè tenuis, & siquando vinum bibat, aquâ diluatur. Ab omni motu violento abstineat. Si venter consistat, soluendus est non purgationibus sed clysteribus refrigerātibus & humectantibus.

Atque hæc de 4 qualitatibus simplicibus cerebrum infestantibus: Quæ si benè obseruentur, opus haud erit, vt multus sim in reliquis quatuor cerebri temperamentis, vtpote quæ ex harum combinatione consistunt. Nam

si cerebrum duabus qualitatibus simul molestêtur, (vt cùm existit nimis calidum & humidum, nimis calidum & siccũ,&c.) Tum quæ ad vtrãq; qualitatem retroagendã conducere monstrauimus, adhibenda sunt etiã in temperamentis cerebri compositis, quatenùs altera alterius operationi non obsistit. Item si duarũ qualitatũ vna alteri dominetur, adeóque cerebro plùs officiat, fortiori proportionaliter magis opponendum est. At enim ad propositum vt redeam, ac de temperamentis cõpositis æque ac simplicibus, aliquid dicam.

VI. Qui cerebrum nimis calidum & humidum habet, omnia humectantia & calefacientia vitet, rebúsque frigidis & siccis se foueat. Venti aquilonares prosunt: australes nocent. Odoramenta frigida & sicca maximè illi conueniunt. Vt: santolina, lignum Rhodium, cynobatus, &c. Lotiones prosunt ex herbis frigidis & siccis decoctis, Item vnctiones ex oleis frigidis & siccis: qualia sunt oleum myrtinum, oleum melinũ, oleum rosaceũ.

VII. Cuius

VII. Cuius cerebrũ in calidũ & siccũ nimis deflexit, à calidis & siccis abstineat, & frigidis humidisque se reficiat. Eurum fugiat. Caput plerumq; disco-opertum sit, locúmq; habitationis sibi eligat (cui eligere licet) in regione frigida & humida propè fluuium. Cubiculum sit item humi situm, & tesserulis lateritijs straturninatum. Dormituro inungatur caput oleo violaceo, vel nenupharino. Odoramenta frigida & humida prosunt. Huiusmodi sunt verbasculum, solanũ, rosæ, violæ, lilia aquatica; salicis folia, &c.

VIII. Cuius cerebrum nimia frigiditate & humiditate affligitur, (in quam cerebri intemperiem plerique omnes studiosi procliues sunt) is memorandi facultatem valdè debilem habet. Nam è 4 primarijs qualitatibus, humiditas & frigiditas memoriã potissimũ lædunt, maximè verò frigiditas. Faciliùs autem & tutius est cerebrum his causis læsum curare, quàm alijs. Cùm etenim cerebrũ è septẽ membris principalibus, natura est frigidissimum & humidissimum, sanè calida & sicca, quæ applicantur ad retrouertendam

intemperiem minimè molesta erunt. Iàm verò præter illa quæ priùs memorantur, cerebro frigido, & cerebro humido separatim prodesse, ista adjicienda sunt. Omnia calida & sicca prosunt. Vt, species aromaticæ: nux myristica, gingiber, cinnamomum, euphorbiæ puluis, zedoaria &c. Item herbæ, vt: melissophyllum, maiorana, nasturtium, hyssopus, thymus, peonia, enula campana, &c. in condimentis exposita. Item alimenta, vt: passeres, perdices, turtures, galeritæ, phasiani, capones, caro veruecina & caprina, &c. Vinum etiam Hispanense parcè sumptum. Porrò liliũ conuallium cum vino forti distillatum, & quantum cochlear impleat, haustum, contra omnes prodest cerebri aut capitis infirmitates, è causa frigida & humida ortas, memoriámq; ac sensus viuificat, atque cor exhilarat. Conseruæ florum roris marini idem effectum præstant. Post cibũ prodest edere conseruas cotoneorũ, vel tragemata anisi, aut cinnamomi saccharati, vel etiam coriandri semina aceto decocta, & incrustata saccharo. Odoramenta quoque calida & sicca multùm

tùm reficiunt, qualia exhalantur à ligno aloës, ſecera, ſtyrâce, muſco, zibetho, ladano, betonica, nigella, coronaria, ſtœchade, &c. Præterea fel perdicis temporibus ſemel menſe illitum, quoad penetret, plurimũ conducit. Frictio item capitis matutina, ſtomacho ieiuno, pannis aſperis thure ſuffitis, atque exercitatio multa & frequens, multùm adiuuant. Sternutatorijs etiam prolíciendus interdum humor eſt à cerebro; inter quæ ramenta nucis myriſticæ primas tenet. Betonica quoque attrita, & naribus immiſſa ſternutationem ſine vllo nocumento prouocat. Sed & hoc quoque ne fiat niſi ventriculo vacuo. Præterea oleum philoſophorum, (quod & idem oleum de lateribus dicitur) tepefactum, & occipitio, ſupremiſque ſpondylis inunctum, memoriam è frigido & humido læſam mirè reſtituit. Dénique omnia alimenta & condimenta frigida & humida lædunt: nec minùs nocent aër imbridus, & frigus matutinũ, veſpertinum, ac nocturnum, maximè ſub dio pernoctare.

IX. Quos nimia cerebri frigiditas & ſiccitas opprimunt, (qualc cerebri

vitium in extrema senectute omnibus penè contingit) eos oportet sæpè parúmq; edere, edulijs verò humectantibus & mediocriter calefacientibus se reficere: Qualia sunt oua sorbilia, butyrum nouum, amygdalæ dulces, nuces auellanæ, pineæ, castaneæ, pistaceæ. Item omnes cibi boni succi: nec non dulcia quæque. Vt: Glycyrrhiza, mel, saccharum, vuæ passæ, conseruæ boraginis, buglossi, cortices citrei conditi &c. Vinum quoque generosum & dulce, (qualia sunt apianum, Vinum passum, Vinum Creticum, Vinum aromaticum, Hippocraticum vulgò dictũ &c.) moderatè sumptum, senibus, omnibúsq; frigidis & valetudinarijs maximè confert: præsertim aurum igne tãtisper positum, quoad propémodum ignescit, in eo extinguatur, siquidem auri effluuiũ mirum in modum cor reficit, exhilaratque. Hâc de re Rogerus Baconus philosophus eximius, libello de senectute, huiusmodi narratiunculã habet. Senex quidam agricola (ait ille) fessus aratro, bibit aquam coloris citrini, & postquam eam laboris æstu incalescens auidè exhauserat, complexione

&

& viribus statim mutatus fuit, & factus veluti triginta annos natus, discretionis, memoriæ & intelligentiæ, quàm fuit antè, melioris particeps. In aula regis 80 annos posteà vixit. *Hæc Baconus: qui aquam illam siue liquorem ex auro tincturam recepisse citrinam censit, vt ibidem testatur.*

Præterea haud mediocri præsidio erit, occipitiũ, ceruicem, stomachũ, ventrẽ, pedes, aliásq;, si placet, corporis partes, oleo liliaceo, vel chamæmelino vngere. Quantũ enim vtrumq; valet, cùm vinum, tùm oleum, ad sanitatem conseruandam, Pollionis responsio nos edoceat, qui cùm centenarius existens ab Augusto interrogatus esset (vt refert Plinius) qua ratione vigôrem corporis ac mentis, ad eam vsque ætatem conseruârat, respondisse fertur: Intùs mulso, foris oleo. Conducunt etiã irrigationes ex decoctione herbarum calidarum & humidarum, sicut etiam odorata calida. Omnia verò humida & frigida fugienda sunt. Aptum quoq; senibus studendi tempus existit, cùm cerebrum moderatè calefit, à vino cibísque optimi succi nupèr sumptis.

Tunc

Tunc enim ideæ notionũ quasi ebulliunt, & eleuantur, vndè inuentio acuitur. Nam phantasia, quoniam corporea participat qualitate, escis potibúsq; excitatur. Vidêmus enim quòd in primo epularum discubitu, altum inter conuiuas vagatur silentium, postquã verò spiritu vini, carniúmq; boni succi cerebrum eorum incaluit, species eleuantur, vndè omnes mensæ assidentes garrîre incipiunt.

Atque hæc de memoriæ debilitatæ restitutione, morbum modò non contraxerit, dixisse sufficiat.

Cap. 7.
De cerebri morbis.

IAm verò si memoria eoúsque debilitata fuerit, vt etiam morbus contrahatur, ad pharmaca tanquã vltima refugia confugiendum est: nil tamẽn inconsulto medico in curationibus aggrediendum. Vtcunque enim apud probatos auctôres passim reperiuntur medicinæ, quibus memoria valdè læsa, & deperdita restituatur: Attamen non satis tutũ existit librorum directionibus

onibus tantùm niti. Quamdiu verò memoria suo officio eátenus prosperè fungitur, quátenus per innatũ cerebri temperamentum, vtcunque á temperato deflectens, permittitur; à pharmacis omninò abstinere nos oportet. Quia natura auxiliaribus remedijs indies assuefacta, quandocunque grauatur, illa exspectabit, adeóque in suo munere obeundo remissior fiet. Et verissimum illud est vulgò quod dici solet:


Naturâ sanos frustrà medicina fatigat.

Sed iam peropus est, vt vela contraham, atque huic opusculo finem imponam: Id quod hic faciam cum verbis Horatianis concludens;

Viue, vale: siquid nouisti rectiùs istis,
Candidus imperti: si non, his vtere mecum.

Trin-vni Deo gloria.

FINIS.



Authores, è quorum potissimùm operibus præceptiones de memoria naturali fouenda, compilaui, hi extitêre.

St. Tzegedinus. Guil. Perkinsus.	*Theologi.*
H. Gualt. Ryff. Guil. Gratarolus. Fernelius. Leon. Fuchsius. H. Ranzouius. D. Brightus.	*Medici & Philosophi.*

Authoris postscriptum.

PAg. 61 lin. 8. *inter vocabula* euocat & Sicut, *inseratur hæc regula*, Idea omnis proprijs suis circũstantijs vestiri debet, prout eius natura fert. Pag. 84. lin. 19. lege, *In omni idea scriptili*.

Errata Typographi sic restitue:

In Prolegom. pag. 14. lin. 12. lege *filo*.

Pag.	Linea.	lege.
14	3	*attexere.*
16	26	*attractum.*
58	22	*sesquipedem.*
64	18	*ericetum.*
70	17	*cælum.*
82	18	*sinistima.*

Atque hæc raptim obseruata. Siqua forsitan alia Lector inueniat, candidus emendet.

capitaliu(m) a ribban
or a coyfe to trusse vp
the haire
Crepida a slipper or
pantofle
Manutermiu(m) a handker-
chief [illegible] a neckclothe
or [illegible]
Dactilotheca a glove
Indefinitum, vndeter-
mined, vndiscerned
obscure or darke
Disceptabilis disputable
Inquilinus a tenante
or inmate
Dica an action, accu-
sation, or processe
Dissuere to sever
Proscenium the players
tyring house
Striatus chamfered or chaa-
nelled
Archetypus of the ancien(t)
best patterne or sample
Epistomiu(m) the spoute or
cocke of a conduyte

latifundium a large
fielde or possession.
Ericetum a place where
store of heath groweth.
ephiala epialma drink-
ing a cassol
rauus russet or tawny.
Sarculum a hoke.
Segmentum a patching
morsel or shred of a
garment
Stroppus a garland.
Fimbria: fringe or the
welt of a garment
armilustrium a muster
in armour.
intritus broke, crumed,
& made smal, or put in
Metropolim a mine tee;
[illegible] porrme
pentacula, orn. [illegible]
lord.
dodecatemoria the 12th
part of the zodiac or of
any other thing.

multtrum, or multrale
a milke paile
Potare to drinke or drinke
Lavator the washer.
Homonymia when divers
thinges are signified
by one worde
[illegible], is potarbelarie.
[illegible] to [illegible] contrarie
[illegible], to [illegible] a
[illegible] hath bin formerly
[illegible]
[illegible] old worme;
a [illegible], or shuttill;
[illegible] a glutton
Gammarus a lobster
Portitor a porter ferri-
man, or a customer
[illegible] mitrina, a shutler or
a upstarte
[illegible] a [illegible] or tale-
[illegible]man, or [illegible] stone
[illegible] a horsekeeper
[illegible] a storke
[illegible] [illegible]. [illegible]
[illegible] [illegible]

forago a stubbment of
corne, i
fenisecium hey harvest
medistallin the story and
dli, that meane
aromatopolium a grocers
shop.
Qualus a fraile hamper
or baskett
postulatum a requeste
demaunde, or suite.
pandocheus an hoste or
inneholder.
millus, or lu, a doges leather
collar full of nayles
hexagonalis six cornered
nefrens, endis: a pig
weaned
hippio a younge ridgel
or
sphaeromachia tennys
play or bowlinge
tadurnū a coverlet, blanket,
carpett, or cloake.
imitation moor sc[illegible]ment at
carnest or swifte
peristroma tapistrie
or chamber hangings

molossus a mastiffe dog

conticinium the dead time, or the first parte of the night

[illegible] attrossus a [illegible] or [illegible]

Symposium a feast or drinking together

Persons returned from death 21

Parum prodest ante somnum meditari, nisi post somnum rumines

[illegible] heade will retaine a forme

A water nor quickly but will retaine none

Mendax [illegible] inconstans in [illegible] alienado [illegible] semper [illegible]

Atheists confuted 23

[illegible]

[illegible]

Sisst, deinde pt mi-
nimum contrariat a nō
media prosunt

Abere diuisib de malo coniuncta

professatio contraria [illegible] facto n:12

Damar pagus leuib 148 pro sal Cumido corbrib et aliis omnibus condimentis confert

Cinotiana 168 Dt

Lettera a pre batib byno Lezaro to Morite ardaroe

wites tet p[illegible]

Augusta en tmport

Vide f[illegible] 2 charta [illegible] ultima

mort no[illegible] ros[illegible] 208 persons

Altezar consultatio 23

Penisse a termist

[illegible]

A.949.

Cedunt astra deo, [illegible] dentibus ipse sidera 147

Semper recordari meditamini fortius omni: 153
Solus et artificium qui facit, ipsius erit

Natura sanos, frustra medicina fatigat

Dum bene cum sanum, verba sano inbita sequentur.

Parum prodest ante somnum meditari, nisi itidem post somnum ruminetur

Literae administrandorum custodes sunt longe fidelissimae

Frigor et siccitas sapientiae potissimum conferunt, formica inter omnes animalia frigidissima et siccissima, ergo prudentissima

animadversione digna 107.

mnemosynū a token or
a signe of remembrance
Subditius a changeling
one put for another
Oppositus stared
Spitting sprat or herring
sotes
Trichosus ffull of heare
or barren
tympanotriba a
drummster
Intertrimentum that
is to be smitted in the
roome of somthing is
stac
Paragraphe a marke or
is a compartment in one
sentence or the margent
Sinisterum pro sinister
Congeneres of one kinde
Eterogeneus of divers
kindes
Pugillares, rum: writ
ing tables
adiaphoria indifferency
Venabulū a hunting
staffe

MNEMONICA;

Siue

Reminiſcendi Ars: è puris artis naturæque fontibus hauſta, & *in tres libros digeſta.*

Nec non,

DE MEMORIA NAturali fovenda libellus: è varijs doctiſſimorum operibus *ſedulò collectus.*

Iam primùm in lucem edita, authôre IOANNE WILLISIO, *ſacræ Theologiæ baccalaureo.*

Omne bonum, Dei Donum.

Vt vnaquæque ars nobiliſsima ac diuiniſsima fuit: ità ad mortalium cognitionem tardiſsimè peruenit. Cardanus.

LONDINI,
Per *Humfredum Lownes,* ſumptibus *Nathanaelis Browne,* 1618.

Inter paginas 58. & 59. inseratur sculpta figura.



Prolegomena.

ETsi sperem (lector humanissime) hanc reminiscendi artē, a me traditam, omnibus numeris adeò perfectam esse & absolutam, vt detrectatorum inuidia superstes futura sit: Tamen cùm iam primùm quasi fœtus recens extrusus, luci se ostendat, liceat mihi, verbo vno aut altero, quàm sit ars ista rationi natu æq́; principijs congrua demonstrare, vt quam præiudiciū multorum diu proscripsit, postliminio iam tandem reuocem. Cùm verò satis intelligam, totam in hac parte controuersiam, in loca-

li (quæ dicitur) memoria sitam esse; Idcirco alias reminiscendi vias, quæ in huius opusculi primo & secundo libris tractantur penitùs relinquens, in hac propugnandi, quæ in tertio continetur, tantùm insistam, apertissimisq; rationibus euincam, non adeò ab arte, naturaliq; reminiscendi vsu illam abhorrere, atque scioli ogganniunt.

Primùm igitur contendo, nedum fateor, literas memorandorum custodes esse fœlicissimas, inscriptionemq; memorabilium in libris omnem aliam reminiscendi artem longè superare. Verùm non semper licet, quæ recordari cupimus, literis statim mandare, vnde ad aliam tunc temporis memorandi rationem necessariò confugiendum est. Et quoniam inscrip-

tio

tio rei memorandæ optima habetur recordandi ratio, sanè ea proximum huic locum vendicare videtur, quæ huic est simillima. Iam verò si rem æqua lance perpendamus, scriptioni valdè affinem esse reminiscentiæ modum per locos & ideas siue imagines, facilè deprehenderemus. Etenim in artificiosa memoria loci sunt tanquam folia chartacea, imagines quasi literæ, dispositio imaginum in locis scriptionem refert, earum denique repetitio lectio quædam existit. Id quod Cicero *in partitionibus, & multò copiosius in secundo libro de* Oratore *disertè tradit.*

Deinde experientia docemur, cùm locos tùm ideas plurimum emolumenti adferre, ad res fideliter custodiendas. Siquidem, quod

ad locos attinet, memoriam multùm eis adiuuari, vel hinc cõstat, quòd siquis viator in biuio vel parte aliqua viæ insignioris notæ insolens quippiã aspexerit, posteà eôdẽ reuersus, non modò locũ ipsum recognoscit, verùm etiã quicquid sibi viderat, licet iam semotũ, in mentem reuocat. Idem etiam in idearũ lectione persæpè euenit. Nam cùm per eosdem locos mens quasi obambulat, in quibus ideas antè disposuit, dispositasq́ue impensiùs notauit, etiã cũ proposito reuisendi, certè non leue adiumentũ loci ipsi cõferunt, ad ideas locatas producendas. Sic typographus literas in notos loculos distribuens, inde absque mora repetit, & ad rectos loculos manũ dirigit. Hùc pertinet historia Simonidis Chy, qui cùm apud Scopam virum prædiuitem

diuitem cum multis alijs fortè cœnaret, nuncium accepisse fertur, adolescentes fuisse duos ante ostium eum præstolantes qui cum illo foràs loqui cupiebant. Surrexit ergò Simonides, & prodijt. Interim verò dum is foràs esset, conuiuæ subita ruinâ cœnaculi, ad vnum omnes occubuerunt. Quapropter cadauera cùm amici sepelire vellent, ea adeò obtrita inuenerunt, vt internoscere nequirent. Hinc Simonides mente benè gerens, quoto quisque cõuiuarum loco ad mensam sederet, eorum omnium corpora digito designauit, & hâc prima occasione admonitus fuit, locos & ordinem ad memoriam excitandam multùm prodesse potuisse. Inde etiam de arte reminiscendi nonnulla tradidit, quæ tamen omnia

 pro-

profunda vetustatis voragine sic iam absorbentur, vt nusquam appareant. Extat & huius rei aliud insigne exemplũ, de Darij ad Persicam monarchiam electione. Cùm enim mortuo Cambyse (vt testatur Herodotus) inter septem Persarum primores pactum esset, vt subsequente mane, omnes vnà equum conscendentes loca suburbana circumequitarent, cuius autem equus primus hinnitum redderet, ad eum sine reliquorum inuidia rerum summa deuolueretur: Darius vnus ex eorum numero, astutiâ equisonis sui, regnum ad se transtulit. Erat huius Darij equiso vir callidus & ingeniosus, cui ipse rem pandit vniuersam, simul admonens, vt siquâ ratione hoc effectum dare posset, sedulò ageret. Hic eum

securo

ſecuro iubet eſſe animo, ſe enim id quod tantópere cupiebat, effecturum. Itaque ſub conticinio, equam ab equo Darij præcipuè amatam eduxit: eámque in viâ publica, quam poſtero mane Dynaſtas tranſequitare oportuit, alligauit: poſtea Darij quoque equum adducens equæ admonuit, ac demùm admiſit. Oriente ſole, primores Perſiæ in equos ſimul inſiliunt, locaq; ſuburbana obequitant. Cùm vero illuc peruentum eſſet, vbi equa alligata fuerat, Darij equus confeſtim hinnire cœpit. Nec mora, reliqui omnes ab equo deſcendentes regem ſuum agnouerunt. Hoc exemplo ſatis patere arbitror, quantum loci valent ad memoriæ excitationem, cùm bruta etiam animalia locatū per locum recordantur.

 Porrò

Porrò ideis etiam memoriam suscitari manifestum est. Nemini enim non notum est memoriam circa sensibilia potentiorem esse, quàm circà insensilia, & circà visibilia quoque quàm alia sensilia: idcóque audita faciliùs memorari, quàm mente nudè concepta, atque etiam visa quàm audita meliùs custodiri: secundum illud poetæ, Segniùs irritant animos dimissa per aures, Quā quæ sunt oculis subiecta fidelib. & quæ ipse sibi tradit spectator.

Hinc est, quòd medici eis suadent, qui artis medicæ operam daturi sunt, non modò libros Hippocratis, Galeni, aliorúmque peritissimorum medicorum, philosophorum, anotomistarum, herbariorúmque opera euoluere, aut etiam lectiones publicas audire,

sed

sed ipsis quoque dissectionibus interesse, ipsasque herbas propria manu legere, vt cùm oculis semel viderint, nunquam in posterum obliuiscantur. Illud idem hîc suadeo. Quod cupis recordari, viuã illius ideã imaginatione forti sic efformes, ac si oculis reuera cerneres. Quemadmodum enim pruna penè emortua, simul atque chartula sulphure infecta attingitur, exuscitatur, & in flammam erumpit: Sic notio per se languida, applicatione ideæ suæ vires resumit, & excitatur. Etenim cùm intellectus omnis è sensibus externis oriatur, optimè sequitur, quòd intelligibilia ad sensus reducta ipsum intellectum citiùs informent. Hinc in sacra scriptura spiritus sanctus se nostro captui submittens, deo ipsi spiritibusque

bus*q;*

busque inuisibilibus, membra corporea sensusque exteriores sæpè attribuit, quia horũ naturam per sensibilia sic obumbratam meliùs percipimus. Omitto quòd facultas imaginatiua ab imaginibus vel ideis in cerebro confictis dicta est. Omitto item quòd intellectus, ab interna lectione idearũ in memoria reconditarum, dici arguitur. Memoria enim quátenus strictè sumitur pro communi memorandorũ receptrice merè passiua est. notionesque ab imaginatione efformatas & sibi ab intellectu transmissas haud aliter recipit ac conseruat, quàm charta dictiones sibi inscriptas. Itaque sicut scribere & scripta legere notarii officium est non chartæ: Sic ideas in memoria reponere, repositasque in vsum expromere,

opus

opus est intellectus non memoriæ. Quid quòd monimenta omnia mnemosyna existunt, & quasi ideæ vere visibiles, quibus memoria præteritorum posteritati commendatur? Sic bustum Semiramidis, & Herculis columnæ, vtriusque memoriam apud posteros conseruarunt. Sic legimus in sacra pagina, duodecim lapides in Iordâne fluuio erectos fuisse, in signum memorabile transitus Israelitarum, Ios. 4. 9. Itémque saxum ingens sub quercu positū, in memoriam fœderis populi cum deo ibidem initi. Ios. 24. 27. Quid quòd & ipsa quoque sacramenta à deo instituti sunt, tanquam ideæ visibiles rerum inuisibilium, quibus nos nimis immemores beneficiorum suorum in Christo commonefacit? Dénique

in

in vsu vulgari est, vel apud illiteratos & plebeios homines memoranda quandoq; per ideas reponere. Vnus enim cum nomen cuiusdam Piscatorem esse didicit, ad hoc nomen firmius apprehendendum de piscatore retia colligente cogitat. Alius certum quoddam negotium sibi commissum habens, quod veritus est ne obliuiscatur, digitum auricularem taeniola aut filio circumligat, vt huius tanquam visibilis ideae subdititia intuitu, negotium sibi commendatum in mente teneat. Vnde constat, idearum efformationem, ad res memoria tenendas, quodam modo naturalem esse, cùm omnium bonarum artium inscios ideis vti ipsa natura edocuit.

Iam restat, vt ijs obiectionibus respondeam, quibus huius artis

aduersarij dignitatem eiusdem obscurare, & fidem labefactare conantur.

Primò etenim obijciunt, memoriæ naturalis facultatem, ipsúmque adeò ingenium vsu huius artis præmodum obtundi: Auctores enim qui de hac re scripserũt, præcipere solere, vt multitudinem locorum nobis comparêmus, in quibus memorabilium occurrentium ideæ disponantur, ibi nimirum perpetuò mansuræ; & ne istæ vnquam è memoria excidant, oportere nos qualibet hebdomade, singulo saltem mense, eas omnes mente lustrare, & recolligere. Qui quidem labor extremus est, ingeniíque acumen non hebetare non potest. Respondeo, me quoque idem cum illis in hac re iuxtà sentire, videlicet, quod si quis omnia

qua

quæ recordari cupit, per locos & ideas reponere conêtur. semel quolibet mense repetenda, opus aggreditur, quod non solùm tædio afficiet obtusissimi ingenij homines, multò magis ingeniosos, qui nil æquè fastidiunt, atque frequentẽ de priùs cognitis meditationem: sed quod minimè necessarium existit, cùm memorabilium in libris inscriptio longè facilior, ac certior est, & in vsum promptior. Ego itaque reminiscendi rationem instituo, ad res nuper auditas, lectas, vel excogitatas, tantisper modò apprehendendas, dùm liceat transcribere, quia menti huic oneri succumbenti occurrendum est, quàm citò possumus. Quin & ipsam quoque memoriæ naturalis potentiam, eâ reminiscendi ratione, quam hoc libro propono, valdè cor-

corroborari certum est. Mens enim reuocationibus sententiarum è memoriâ lapsarum, idque per vnum aut alterum sæpè vocabulū indies assuefacta, plùs quàm inexpertis credibile est, in munere suo exequendo erigitur, vnde etiam ingenium magis magisque acuitur. Neque verò principiis vllis recordandi vsus sum, memoratrici facultati nocimis: sed & tibi quoque ne vtâris, summoperè cauendum moneo, ne in summam naturalis memoriæ perniciem cedat.

Deinde, multùm turbare aiunt, duas aut tres considerationes inire, in vnius ideæ repositione. Respondeo, quòd qui Latinè loquuntur, multiplicem vocabulorum constructionem obseruant, vocesq́ singulas suo casu, genere, numero,

numero, persona, tempore, sine vlla hæsitatione statim proferunt: nec tamen memoria propterea quicquam confunditur, quia in regularum Grammaticalium praxi quotidiana versantur: Simillimè, vbi regulas omnes artis Mnemonicæ exactè callêmus, molestum haud erit, ideas omnes propriis suis circumstantiis statim vestire.

Siquis porrò mihi causêtur, & dicam inscribat, quòd dialecticis reclamem, qui methodi Logicæ beneficio quippiam memoria cō-prahendi asserunt, toto cœlo aberrat. Constat enim illos de sermonibus productis id tantùm dicere. Nemo autem sanæ mentis, ad negotia, dictiones, phrases, numeros, sententias singulares, memoranda, valere methodum vnquam asseruit:

asseruit: quæ tamen omnia per ideas debitè dispositas, in memoria fideliter conseruantur. Reseruêtur ergò methodo sua dignitas, (quam maximam esse agnosco) At negari interim non potest, quin vel ipsa methodus continuati alicuius sermonis, obliuioni ex parte demersa, quamuis ea cryptica sit, ex ordine idearum dispositarum, in mentem revocêtur.

Sed est, inquies, negotium planè phantasticum in ideis efformandis, & nephelococcygiis condendis distineri: Ideoq́ Mnemonica, quæ in istis versatur, nec ars etiam dicenda est. Quippini cedò sit ars Mnemonica prorsus phantastica, quùm solùmmodo occupatur in phantasmatis effingendis, quibus phantasia erigitur, vt vtiliùs memoriæ inseruiat,

Esse

Esse autem artem Mnemonicam, sic ostendo. Ratio & Memoria mentis facultates distinctæ sunt, licet ab invicem non divisæ. Ergo si ars sit vlla rationem informandi (talis est autem Logica) quid ni & ars sit etiam informandi memoriam, qualis Mnemonica existit?

Denique, si causam quæras, quæ me ad hanc artem diuulgandam impulit, hoc responsum habeas; me libros omnes, quotquot parare potui, de arte Mnemonica inscriptos, pertinaci diligentia perlegisse, & magno cum temporis dispendio, ne dicam summa animi fatigatione, in praxi præceptorum ab aliis traditorum aliquandiu laborasse. Verùm, cùm nonnulla impia, obscura & superflua, in illam artem admissa fuisse

isse

isse perspexissem, multa item perquàm necessaria penitùs omissa, omniáque penè adeò confusa & incerta, vt vix quicquam certi haberetur quo insistendum esset, nimis optabam, artem tam præclaram, è densissimâ, qua sepulta iacuit, caligine eruere, & ab omnibus spurcitijs, quibus inquinata fuit, depurare. Hinc illam horis subcisiuis aggressus sum, amputatis que amputandis, suppletis supplendis, & singulis in ordinem reductis, in nouam iam formam confeci, & sanè (ni mihi sit mens falsa) longè meliorem. Et quoniam mihimet ipsi valdè vtilem fuisse hanc artem expertus sum, spes mihi iniecta fuit, & alijs quoque prodesse potuisse, qua spe fretus, in publicum audactèr emisi.

Atque hæc illa fuerunt, quæ in approbationem idealis reminiscentiæ dicenda habui, vnde satis liquere existimo, eiusdem principia ab intimis artis naturæq́; fontibus deducta fuisse. Qui bonam habent memoriam naturalem, vsu huius artis meliùs carere possunt, sicut qui optima fruuntur valetudine medicinis non indigent. Cuius autem memoria in officio suo segnis & remissa est, illi admodum prodest, vt ab ineunte ætate, assidua huius artis praxi exuscitetur, & acuatur. Nemo tamen tam fœlici memoria vtitur, quæ per istam artem cultior non fiat. Nam vt omnes artes liberales naturam perficiunt, modum meliorem demonstrando quippiam agendi, quàm ipsa natura edocuit: sic & ista. Ratiocinamur

cinamur

cinamur quidem à natura, sed meliùs ratiocinari docêmur arte Dialectica: Sic licet à natura accipimus quòd recordamur, at certiùs recordari discimus artis Mnemonicæ beneficio. Qualiacũque demùm ea sunt, quæ in sequẽtibus libellis proposui, illa omnia desiderio vtilitatis tuæ diuulgaui. Quocircà tuum erit, labores conatusq́; meos æqui boniq́; consulere; vti meum esse agnosco, deo in omnibus gloriam tribuere, ipsúmque tanquam omnium bonarum artium authorem, & sapientiæ fontem suspicere. Vale.

I.W.

crementa alia in periculosos, lethaléſque morbos inciderunt.

Can. V. Ab omnibus vacuationibus medicinâ coactis, (quales per purgationes, vomitus, aut phlebotomiam fiunt) penitùs abſtineas, niſi ſumma te neceſſitas vrgeat. Nam venæ ſectio, & pharmaca, præter malos humores, quos proliciunt, bonos etiam ac vtiles nec non ſpiritus vitales excernunt, vndè virtus naturalis aliquantulùm diſſoluitur. Idcóque Plato in Timæo interdixit, ne medicinis corpora moueamus, cùm corporis curatio aliter perfici poſſit.

Can. VI. Duodecim plùs minùs vuas paſſas, lapillis extractis, quotidiè vice ientaculi comedere ſine potu, non ſolùm memoriæ prodeſt, ſed ſtomachum ac iecur confortat, pituitam minuit, ſanguinem auget, ac iuuentutem conſeruat.

Can. VII. Cœna prandio ſit largior, quia temporis interſtitium longius ſequitur. Qui verò nocturnis diſtillationibus affliguntur, (vt ſenes & natura frigidi) illorum prandium cœnâ largius eſſe oportet. Inter edendum

autem

autem edulia calida frigidis præmittantur, concoctu facilia concoctu difficilibus, & liquida solidis, vt è ventriculo citiùs expediantur. Prætereà cibus omnis solidus bonam masticationem requirit, potúsque sensim hauriendus est. In primis autem cauendum, ne tempus edendo potandóque protrudamus. Non minùs enim lædit nimis lenta, quàm nimis auida comestio. Stomachus item claudatur aut frustô panis, aut coriandris saccharo inductis, cotoneorum conseruis, pyro furno indurato, aut similibus. Denique alimenti quantitas viribus sumentis, non orexi respondeat. Aliud enim homini, aliud humanitati satis; inquit Varro.

VIII. Horæ consuetæ sumendi alimentum obseruentur. Cupit enim natura statis horis officium in coquendo agere, vti in febribus intermittentium paroxysmis apertè videre est. Insuper post cœnam, non omninò bibendum (nam somnus superueniens satis humectabit) neque etiam inter prandium & cœnam, nisi valdè sitias, aut tali consuetudini assueueris: quæ

tamen consuetudo vitiosa est, ideóque paulatim immutanda.

IX. Post cibum sumptum à labore abstineas cùm corporis tùm mentis. Et vnam horam aut circiter iucundis cum alijs sermonibus stando, sedendo, vel mollibus passibus ambulando transiges. Sessio autem ad focum post refectionem, multùm impedit digestionem, calorem naturalem ad exteriora euocando. Abstineas itidem post cœnam tantundem temporis à somno. Plurimùm enim cerebrum nocet, stomacho impleto dormire.

Can. 10. Cùm lectum petis, claudantur cubiculi fenestræ omnes, vt ne ventus introeat: quin & cadurca protendantur, ne radij lunares fenestram penetrantes dormientem feriant. Sub radijs enim lunaribus dormire grauedinem capiti infert, licet vigilantibus non noceat. Caput autem aurésque cooperiantur: Nimia autem coopertura debilitatur caput. Prætereà in ipso discubitu, primùm in latus dextrum discumbe, capite tantum eleuato, vt altitudine æquet humerum sinistrum, brachijs cruribusque modicè contractis,

ctis, vt ista corporis positurâ calor ventriculi augeatur. Porrò autem cùm euigilaueris in sinistrum latus verte, & rursum si expergiscceris in dextrum cruribus exinde protensis. Somnus porrò vigilijs æqualis esto, non quidem tempore, sed proportione: vt ne vigilijs cerebrum nimis exiccêtur, nec somno nimio plùs æquo humectêtur.

Cap. XI. Vitæ socios & consortes tibi elige viros doctos benéque moratos: taléfque, quoad fieri potest, quorum familiaritate ipse melior & doctior fias: non illos, quos tu meliores è consortio tuo feceris. Nos etenim inflci eorum moribus, quibuscum viuimus, argumento est, quòd qui inter agricolas educantur agrestes sunt moribus, qui cum pijs versantur religionem sapiunt, qui cum doctis degunt doctiores euadunt, quique inter malè moratos nobilium famulos viuunt, scurræ plerumque & bibaculi euadunt. Imò verò consuetudo illorum quibuscum viuimus, ad mores efformandos efficacior existit, quàm ipsa naturalis inclinatio. Non potes ergo in con-

sortibus eligendis nimis esse curiosus.

Can. XII. Mens in aliquibus saltem sententijs memoriter ediscendis (etiam cùm opus non sit) assiduè exercenda est, vt vsu & exercitio quotidiano reminiscendi facultas vegetêtur. Nam sicut corporis vires labore & exercitatione iugi augentur, ignaviâ verò & intermissione laboris minuuntur: Ità anima assiduo bonarum literarum studio assuefacta vigoratur, intermissione verò ac desuetudine torpet. Et sicut frequens disputatio peritū logicum, & frequens peroratio disertum oratorem reddit: sic frequens memoriter ediscendi praxis memoriam promptiorem facit. Nihil est enim (ait Ludouicus Viues) quod magis opere & labore gaudeat, nihil quod faciliùs corrumpatur & intereat quiete ac otio, quàm memoria. Quocircà aliquid quotidiè ediscendum est, vel etiam cùm non sit necesse, tantùm ne torpor memoriam inuadat quo nullus est illi morbus perniciosior. Hinc duo illi versiculi centonum apte constituuntur videlicet,

Sæpe recordari medicamine fortius omni.
Solus & artificem qui facit, vsus erit.

Can. XIII. Tempus studijs aptissimum est, cùm ventriculus est vacuus. Tunc enim purissimi spiritus à corde in cerebrum ascendunt. Hinc aurora dicitur musis gratissima. Prodest etiam, vt quicquid die commentati sumus, noctû summâtim repetamus, antequam lectum petimus. Quæ eadem consuetudo Pythagoræ fuisse dicitur. Mirum verò dictu, nec in promptu ratio (ait Quintilianus) quantum interposita nox adferat firmitatis, siue quiescit labor ille, siue maturatur, & coquitur. At verò vbi somnus primùm excussus fuerit, ea rursus repetenda sunt, quæ vesperi ante somnum meditabamur. Alioqui parùm proderit illa meditatio vespertina.

Can. XIV. Ne illi studio professionive te addicas, cui per naturam ineptus es. Quamcunque autem professionem consultò delegeris, eâdem delectêris, omnémque in eâ studenda diligentiam fac impendas, & plus interesse puta, in professione tua eru-

ditum esse, quàm de cunctis alijs artibus leuiter disputare posse.

Can. XV. Addicas te instructori in professione quam elegisti, peritissimo: cui summa cum admiratione, tanquam oracula profundenti auscultes: Nec præceptorem deseras, donec abditissima professionis mysteria cognoscas. Multi enim in summos euaderent viros, nisi tamdiu esse discipulos puderet.

Can. XVI. Autores, quos leges, optimi sunto: qui scilicet libros nugis non farciunt. Cum enim ne cogitare quidem possumus, quin spiritus consumamus, videndum est, ne in hominum rudium, indoctorúmque commentarijs legendis exhauriantur.

Can. XVII. Ne cupias multa legere, sed quæ legis, perfectè intelligere. Quemadmodum enim non multum edere, sed comestum benè digerere corporis sanitati confert: Sic menti vtilior est deliberata lectio, quàm auida.

Can. XVIII. Methodum breuissimam in studiis sectêris. Siquis enim iter facturus, viam breuissimam, planissimam-

nissimámque insistat, minùs is vesperi fatigabitur, quàm qui in loca prærupta, latebrásque viarum deflexerit; Ità etiam hîc fit. Omnis enim scientia faciliùs & expeditiùs attingitur, quo succinctiorem methodum in eâ addiscenda obseruamus.

Can. XIX. Ne solitariæ lectioni totus incumbas: sed alios, si poteris, tibi comites in studiis adiungas, saltem de rebus ad bonam disciplinam spectantibus frequentissimus tibi sit cum alijs sermo. Mutua siquidem cum allijs de quæstionibus vtilibus collatio, non modò in studijs te plurimùm promouebit: sed linguæ etiam promptitudinem adferet, & ad publicè loquendum magis idoneum reddet.

Can. XX. Denique, siquando mens tua in studiis distrahatur, eandem pro tempore relaxa. Melius est enim studium intermittere, quàm mentis aciem obtundere. *Arcus enim si nunquã cesses tendere, lentus erit*, vt cecinit Poeta. Recreationes solius animæ sunt musica, cum facetis ac lepidis confabulatio, spectaculorum solennium inspectatio, & eiusmodi. Sed & corpo-

ris

ris exercitationi, aliquod temporis interstitium quotidiè concedendum est: non illud tamen matutinum (hoc enim grauioribus studijs debetur) sed pomeridianum, aliquantisper ante cœnam, morâ intercedente inter exercitationem & cœnam, vt calor motu excitatus introrsum priùs redeat, quàm cibum sumis.

Cap. 4.

De memoria debilitatæ restitutione.

ADhûc de memoriæ naturalis illæsæ in suo statu conseruatione loquutus sum: Iam sequitur, vt de eiusdem debilitatæ restitutione agam.

Memoriæ naturalis debilitatio è nimia cerebri calore, frigore, humiditate, vel siccitate oritur. Superfluus enim calor spiritus animales exquoquit, & consumit. Frigiditas nimia motũ spirituum, qui in concauitatibus cerebri insunt, impedit. Siccitas superflua duritiâ sua obsistit, vt ne species insigillentur. Humorum redundantiæ formas intelligibilium, simul atque imprimuntur, subsidere faciunt, &

com-

complanant. Quòd si duæ simul qualitates excesserint, (vt si cerebrum sit calidum & humidum, frigidum & humidum, calidum & siccum, aut frigidum & siccum,) eò magis cerebrum, adeóque memoria infestatur. Itaque in calore & humore cerebri augendo, & minuendo, situm est omne memoriæ debilitatæ erigendæ negotium.

Sed memoriæ debilitas vel leuior est, vel in morbum transiit. Si leuior sit, vtpote quæ ex mala diæta, vel praua consuetudine oritur, tùm ea obseruandæ sunt cuique præceptiones, quæ ijs pro ratione temperaturæ suæ capite sexto specialiter assignantur: non interim neglectis generali diæta priùs præscriptâ, & communi illa viuendi regulâ in superiori capite traditâ, quatenùs cum suo temperamento consentire persenserit.

Sed quò meliùs quisque de cerebri sui temperamento dijudicare possit, indicia temperamentorum cerebri, quæ in doctis medicorum operibus perlegi, summâtim hic recensere non pigebit. Quanquam enim temperamenta cerebri, quoad gradus qualita-

tum, innumera planè existunt, Ad nouem tamen generaliora reducantur. Quorum signa breuibus demonstrabo.

Cap. 5.

De temperamentis cerebri di-iudicandis.

PRimùm igitur, signa cerebri temperati sunt ista. Qui temperati sunt cerebri, non offenduntur calore, frigore, humiditate, vel siccitate extrinsecùs adueniente. Sunt etiam sensibus integri, ad disciplinas bonásque artes ediscendas, longè aptissimi, & in cupiditates perturbationésque animi non præcipites. Insomnia sunt ijs leuia & jucunda, non-nunquam se volare somniant, quod quidem insomnium indè prouenit, quòd corpus nullis excrementis grauatum, summam leuitatem, & agilitatem induisse videtur; Interdum astra, aliáque splendida per insomnia vident. Crinium color, (modò in temperata regione degunt) dum pueri sunt, subflauus est, cùm viri existunt, flauus, & tunc etiam capilli

pilli crispescunt. In senectute tardè canescunt, nec facile caluescunt. Denique illis omnia mediocria sunt, tam in actionibus animalibus (quales sunt pulsus, respiratio, somnus &c.) quam in redundantiis. Aurium siquidem cerumen, narium mucôr, oris saliua, reliquarumque partium superfluitates, in mediocri quantitate, & qualitate deprӕhenduntur.

II. Signa cerebri calidi. Cùm viget in cerebro caliditas, caput est tactu calidum, partésq; circa caput calidӕ et rubescentes, oculi rubri & citò mouentes, venӕque conspicuӕ. Citò post natalem, capilli oriuntur, valdè crescunt. Et qui multò calidiores sunt temperatis, eorum capilli sunt nigri, crispi, duri: Ingruente verò senectute defluunt, & caluities sequitur. Superfluitates palati, narium, oculorum, & aurium, paucӕ, molles, & flaccidӕ. Somnus breuis, & non profundus. Grauatur caput escis, potionibúsque & odoramentis calidis, eóque magis, si caliditas naturalis sit. Pulsus & respiratio incitatiores temperatis cerebri. Memoriâ pollent, ad actiones

velôces

velôces sunt, in iracundiam & Venerē proni, & sensus habent integros.

III. Signa cerebri frigidi. Si dominatur frigiditas, caput est tactu frigidum. In facie vix rubor vllus apparet, isque superueniente frigore, vertitur in liuidum. Oculi debiles, eorúmque venæ inconspicuæ. Pulsus & respiratio tardiores temperatis. Capilli multò post natalem oriuntur, suntque tenues, plani, stabiles, canescentes sine caluitie. Caput a calore nunquam læditur, sed à refrigerantibus causis facilè offenditur: vnde frequentes distillationes, catarrhi, & obstipationes nariū proueniunt. Somniculosi sunt, timidi, ad actiones segnes, ad iram tardi, Venerisque minùs appetentes. Memoria ipsorum est tarda, mens stupida, & sensus debiles, præcipuè auditus. Sunt etiam in vertiginem proni.

IV. Signa cerebri humidi. Humiditate dominante capilli simplices sunt, & copiosi. Nam copia capillorum ex humore, sicut color eorum, è calore manat. Vnde qui cerebro sunt humido, nunquam caluescunt. Humore itē crines madent aereo quidem,

dem, oleoſo & pingue, ſi ab humore natiuo cerebri exudat: Aqueo verò, exili, & tenui, ſi ab humiditate præternaturali cerebri dimanant. Porrò hebetes ſunt, & ad actiones pigri. Nuper elapſa benè memoria ſeruant, olim geſta obliuiſcuntur.

Olfactum valdè debilem habent, ſenſúſque reliquos caliginoſos. Excrementis abundant, quæ è naribus, ore, oculis, proueniunt. Somnus eorum grauis eſt, & profundus. Nonnunquam ſomniant ſe in periculo eſſe, nec tamen poſſe loco mouere, quod eò accidit, quia corpus ſuperfluitatibus onuſtum pigrum efficitur.

V. *Signa cerebri ſicci.* Quorum cerebrũ ſiccum exiſtit, illi tardè diſcunt, & tardè obliuiſcuntur. Superfluitates narium, oculorum, & palati, paucæ ſunt: aurium verò cerumen multùm. Oculi ſunt cauati. Capilli duriores, & criſpi. Ipſique celeriter calui fiunt.

VI. *Signa cerebri calidi & humidi.* Qui cerebrum habent calidum & humidum, eorum caput eſt calidum, humores etiam per ſuturas cranij exudant. Color faciei bonus eſt, oculo-

rum

rum venæ conspicuæ. Capilli copiosi, recti & fluuescentes. Sensus hebetiores sunt. Tardè ipsi caluescunt. Venerem facilè ferunt. Motu tardiores existunt, quàm temperati. In iram propensi, nec tamen feri. Multùm vigilare nequeunt: sunt tamen vigilãces. Visiones sæpè in somnijs habent caliginosas. Excrementa copiosa sunt.

VII. *Signa cerebri calidi & sicci.* Qui cerebro calido, & sicco existunt, ij sunt corpore graciles, articulis tamen & musculis firmiter connexo. Venæ illorum sunt magnæ. Sensus omnes integri. Motus perfectus, & velox. Vox grauis, & sonora. Cutis dura ac fusca. Capitis pili citò crescunt, colore nigri sunt ac crispi. Ipsi valdè hirsuti sunt corpore, & præproperè calui fiunt. Ingenio & memoria pollent, sed mobiles sunt in opinionibus suis. Somnus eorum leuis est, & breuis. Et insomnia plerúmque de igneis. Citò satiantur. Excrementis minimè redundant. Audaces sunt, superbi, liberales, temerarij, in venerem procliues.

VIII. *Signa cerebri frigidi & humidi.* Quibus

Quibus cerebrum est humidum & frigidum, eorum sensus sunt obtusiores, pulsus mollis, motus tardus, caput superfluitatibus repletum: vndè distillationibus, nariúmque obstipationibus obnoxij sunt. Somnus eorum multus est, grauis, & profundus. Somnia sæpè sunt de aquis, & meteoris aqueis, niue, pluuia, grandine, &c. Non caluescunt. Iræ minimè tenâces existunt. Denique superfluis excrementis redundant.

IX. *Signa cerebri frigidi & sicci.* Qui cerebrum frigidum & siccum habent, ij habent in iuuentute sensus integros, & illæsos; sed statim à iuuentute debilitari incipiunt. Citò senescunt, & canescunt. Oculorum venæ sunt inconspicuæ. Excrementis non redundant: A frigidis tamen causis facilè læduntur. Vident sæpè in somnijs fumum, caliginem, profundásque tenebras. Si frigus siccitati dominetur, tardiùs caluescunt; si siccitas frigori, citiùs. Respiratio, & pulsus tardiores, & rariores. Corpus duriusculum. Sanguinis copia exigua. Postremò, incitati ægrè iram deponunt.

Cap. 6.

De diæta cuique temperamento congrua.

EXpositis iam temperamentorum cerebri indicijs: proximum est, vt specialem cuiq; temperamento diætam suo ordine assignem. Transeat modò temperamentorum primum, (quod scilicet ex æquali commixtione 4. qualitatum oritur) quoniam quicunque hanc habent cerebri temperaturam, vel huic affinem, in medio cri latitudine positam, eius memoria benè habet, neque proptérea medicis præceptionibus indiget. Tantúmmodo illi incumbit, cùm memoriam illæsam habeat, eandem illæsam conseruare, effugiendo quæ memoratrici facultati sunt perniciosa, adhibendo quæ vtilia: de quibus suprà.

II. Iam verò si cerebrum in calidum nimis deflexerit, enitendum est vt calor ille minuatur. Quisquis igitur nimiâ cerebri caliditate infestatur, eum abstinere oportet ab omnibus calorem augentibus, vel excitantibus, qualia

qualia sunt plurimæ species aromaticæ, vt piper, gingiber, garyophilli &c. Item vina omnia, potusque fortiores, allium &c. Vitet etiam vehementem corporis exercitationem, nec non soles æstiuos, præsertim meridianos, tùm vel maximè à cibo. Post cœnam ne omninò studeat. A cibis, fructus frigidos, & austeros edat. Odoramenta frigida sæpè adoleat; qualia sunt violæ, rosæ, sandalis, camphora natiua, myrtus, aqua rosarum, flores periclymeni, verbasculum &c. Nonnihil etiam spiritus recreat, in hortis, vbi flores herbæque suaueolentes spirant, sub vmbrâ ambulare. Prætérea, postquàm manè vestimenta induit, faciem aqua frigida lauet, oculósque immergens, palpebras interim aperiat, vt vndâ gelida ipsos oculos perfundat, & refrigeret. Idem quoq; vesperi, cùm lectum petit, faciat. Sed insuper tempora, duásque supremas spondylas oleo rosaceo inungat. Hæc enim vnctio, præterquàm quò l cerebri calorem imminuit, somnum item conciliat. Somno autem, qui cerebrum habent calidum, admodum indigent.

III. Si

III. Si cerebrum nimis frigidum sit, tùm abstinentiâ à refrigerantibus, & vsu calidorum erigendum est. Qui igitur cerebrum frigidum habet, ab omnibus abstineat, quibus cerebrum infrigidatur: qualia sunt lactucæ, melônes, panis acerosus, animalium cerebrum præhumidum (vt cerebrum vitulinum, cerebrum nefrendum, &c.) fructus item immaturi, herbæ virides, aqua incocta, &c. Lunam vitet, ventósque aquilonares. Calidis escis vtatur. Multùm etiam conferunt hæ species aromaticæ; piper, garyophylli, cynamomum, macer, nux myristica, gingiber, iuniperi grana, ramenta eboris, & similia. Confortant etiam cerebrum frigidum odoramenta calida. Calidum autem odorem exhalant apiastrum, menthæ, galanga, rosmarinus, lignum aloes, poma aurantia, ambra, muscus, &c. Porrò gingiber conditum, ad quantitatem nucis auellanæ, bis aut ter qualibet hebdomade, ieiuno stomacho comestum, multùm prodest cerebro frigido. Idem præstat vinum cos (id est, coloris, odoris, saporis optimi) moderatè sumptum.

Expedit

Expedit etiam semel mense nucham, ceruicē, et pedes, cùm it cubitū, aqua tepida lauare, qua decocta sunt apiastrum, chamæmælum, saluia, lauri folia, hyssopus, fœniculus, sampsuchum, & eiusmodi. Denique oleum anethynum, vel rutaceum tepidum occipitio, ac duabus supremis spondylis inunctum, plurimùm adiuuat memoriam à frigida causa læsam.

IV. Si cerebrum superfluis humoribus redundat, tùm danda est opera, vt absumptis humoribus, cerebrum ad pristinum statum retroducatur. Cuius ergò cerebrum est nimis humidum, ob omnibus humidis & pituitosis abstineat: cuius generis sunt brodialia, juscula, lac, caro suilla, præcipuè nefrendum, agnelli nuper enixio, pipiones implumes, melones, & similia. Nec non desistat ab allio, cepis, potúque fortiori, cunctisque alijs, quæ crassis vaporibus cerebrum implent. Insuper nutrimentum eius omnis lentôris expers esse debet, nè alioqui per constilationem materiæ phlegmaticæ in cerebro, lentôre alimenti, apoplexia, lethargia vel paralysis inducatur.

Præ-

Prætérea, quodcunque edit, sale esto bene conditum: Sal enim valdè exiccat humores phlegmaticos, & discindit, spiritus rarefacit, humidisque cerebris præ alijs omnibus condimentis prodest. Fugiat ventos australes, & omnia caput humoribus replentia. Masticatio pyrethri & mastiches cum gingibere caput a phlegmaticis superfluitatibus admodum expurgat. Idem effectum producit saluia in ore aliquandiu tenta; prodest etiam, quando itur cubitum thuris albissimi granum deglutire. Quod attinet ad petum vel nicotianam, (quod & idem ab insula Tobacque tobacco dicitur) cerebris præhumidis prodest, modò rarò sumatur, & non nisi cùm cerebrum superfluitatibus plus solito scatet: Verùm nimius eiusdem vius innatum cerebri humorem exiccat, & per accidens rheumatis & distillationibus replet. Sicut enim puteus eò magis aquis abundat, quò sæpiùs craterris exhauritur: Ita caput maiori humorum copia indies repletur, cùm fumo nicotiano quotidie euacuatur. Succus autem malorum citreorum ieiuno stomacho identidem

sumptus,

ſumptus, ad phlegmaticam materiam digerendam fumo Nicotiano multò præſtantius eſt. Quod neminē (puto) inficiaturum experimentum qui fecerit.

V. Si cerebrum nimis ſiccum fuerit, tum humectãtibus leniendum eſt. Abſtineat ergò qui cerebum ſiccum habet à cibis ſalſis, & omnibus exiccantibus. Eurum vitet. Cibis veſcatur humidis & ſucculentis: qualia ſunt oua ſorbilia, capones, phaſiani, aues montanæ, caro hœdina, caſeus recēs ſalis expers, piſces fluuijs ſabuloſis capti, lac, brodialia, ceraſa, pruna, malagranata, ficus, melones, ſuccoria, endiuia, lactuca, & eiuſmodi. Potus ſit valdè tenuis, & ſiquando vinum bibat, aquâ diluatur. Ab omni motu violento abſtineat. Si venter conſiſtat, ſoluendus eſt non purgationibus ſed clyſteribus refrigerãtibus & humectantibus.

Atque hæc de 4 qualitatibus ſimplicibus cerebrum infeſtantibus: Quæ ſi benè obſeruentur, opus haud erit, vt multus ſim in reliquis quatuor cerebri temperamentis, vtpote quæ ex harum combinatione conſiſtunt. Nam

si cerebrum duabus qualitatibus simul molestêtur, (vt cùm existit nimis calidum & humidum, nimis calidum & siccũ, &c.) Tum quæ ad vtrãq; qualitatem retroagendã conducere monstrauimus, adhibenda sunt etiã in temperamentis cerebri compositis, quatenùs altera alterius operationi non obsistit. Item si duarũ qualitatũ vna alteri dominetur, adeóque cerebro plùs officiat, fortiori proportionaliter magis opponendum est. At enim ad propositum vt redeam, ac de temperamentis cõpositis æque ac simplicibus, aliquid dicam.

VI. Qui cerebrum nimis calidum & humidum habet, omnia humectantia & calefacientia vitet, rebúsque frigidis & siccis se foueat. Venti aquilonares prosunt: australes nocent. Odoramenta frigida & sicca maximè illi conueniunt. Vt: santolina, lignum Rhodium, cynobatus, &c. *Lotiones* prosunt ex herbis frigidis & siccis decoctis. Item vnctiones ex oleis frigidis & siccis: qualia sunt oleum myrtinum ,oleum melinũ ,oleum rosaceũ.

VII. Cuius

VII. Cuius cerebrũ in calidũ & ſiccũ nimis deflexit, à calidis & ſiccis abſtineat, & frigidis humidiſque ſe reficiat. Eurum fugiat. Caput plerumq; diſcoopertum ſit, locúmq; habitationis ſibi eligat (cui eligere licet) in regione frigida & humida propè fluuium. Cubiculum ſit item humi ſitum, & teſſerulis lateritijs ſtratuminatum. Dormituro inungatur caput oleo violaceo, vel nenupharino. Odoramenta frigida & humida proſunt. Huiuſmodi ſunt verbaſculum, ſolanũ, roſæ, violæ, lilia aquatica, ſalicis folia, &c.

VIII. Cuius cerebrum nimia frigiditate & humiditate affligitur, (in quam cerebri intemperiem plerique omnes ſtudioſi procliues ſunt) is memorandi facultatem valdè debilem habet. Nam è 4 primarijs qualitatibus, humiditas & frigiditas memoriã potiſſimũ lædunt, maximè verò frigiditas. Faciliùs autem & tutius eſt cerebrum his cauſis læſum curare, quàm alijs. Cùm etenim cerebrũ è ſeptẽ membris principalibus, natura eſt frigidiſſimum & humidiſſimum, ſanè calida & ſicca, quæ applicantur ad retrouertendam

intemperiem minimè molesta erunt. Iàm verò præter illa quæ priùs memorantur, cerebro frigido, & cerebro humido separatim prodesse, ista adjicienda sunt. Omnia calida & sicca prosunt. Vt, species aromaticæ: nux myristica, gingiber, cinnamomum, euphorbiæ puluis, zedoaria &c. Item herbæ, vt: melissophyllum, maiorana, nasturtium, hyssopus, thymus, peonia, enula campana, &c. in condimentis exposita. Item alimenta, vt; passeres, perdices, turtures, galeritæ, phasiani, capones, caro veruecina & caprina, &c. Vinum etiam Hispanense parcè sumptum. Porrò liliũ conuallium cum vino forti distillatum, & quantum cochlear impleat, haustum, contra omnes prodest cerebri aut capitis infirmitates, è causa frigida & humida ortas, memoriámq; ac sensus viuificat, atque cor exhilarat. Conseruæ florum roris marini idem effectum præstant. Post cibũ prodest edere conseruas cotoneorũ, vel tragemata anisi, aut cinnamomi saccharati, vel etiam coriandri semina aceto decocta, & incrustata saccharo. Odoramenta quoque calida & sicca multùm

ùm reficiunt, qualia exhalantur à ligno aloës, ſecera, ſtyrâce, muſco, zibetho, ladano, betonica, nigella, coronaria, ſtœchade, &c. Præterea ſel perdicis temporibus ſemel menſe illitum, quoad penetret, plurimū conducit. Frictio item capitis matutina, ſtomacho ieiuno, pannis aſperis thure ſuffitis, atque exercitatio multa & frequens, multùm adiuuant. Sternutatorijs etiam proliciendus interdum humor eſt à cerebro; inter quæ ramenta nucis myriſticæ primas tenet. Betonica quoque attrita, & naribus immiſſa ſternutationem ſine vllo nocumento prouocat. Sed & hoc quoque ne fiat niſi ventriculo vacuo. Præterea oleum philoſophorum, (quod & idem oleum de lateribus dicitur) tepefactum, & occipitio, ſupremiſque ſpondylis inunctum, memoriam è frigido & humido læſam mirè reſtituit. Dénique omnia alimenta & condimenta frigida & humida lædunt: nec minùs nocent aër imbridus, & frigus matutinū, veſpertinum, ac nocturnum, maximè ſub dio pernoctare.

IX. Quos nimia cerebri frigiditas & ſiccitas opprimunt, (quale cerebri

vitium in extrema ſenectute omnib
penè contingit) eos oporret ſæpè p
rúmq; edere, edulijs verò humect
bus & mediocriter calefacientibus
reficere: Qualia ſunt oua ſorbilia, b
tyrum nouum, amygdalæ dulces, n
ces auellanæ, pineæ, caſtaneæ, piſta
æ. Item omnes cibi boni ſucci: n
non dulcia quæque. Vt: Glycyrrhi
mel, ſaccharum, vuæ paſſæ, conſer
boraginis, bugloſſi, cortices citrei co
diti &c. Vinum quoque generoſum
dulce, (qualia ſunt apianum, Vin
paſſum, Vinum Creticum, Vinum a
maticum, Hippocraticum vulgò dic
&c.) moderatè ſumptum, ſenibus, o
nibúſq; frigidis & valetudinarijs ma
mè confert: præſertim aurum igne
tiſper poſitum, quoad propémod
igneſcit, in eo extinguatur, ſiquide
auri effluuiũ mirum in modum cor re
ficit, exhilaratque. Hâc de re Rogeru
Baconus philoſophus eximius, libell
de ſenectute, huiuſmodi narratiuncu
habet. Senex quidam agricola (ait ille)
feſſus aratro, bibit aquam coloris citri
ni, & poſtquam eam laboris æſtu inca
leſcens auidè exhauſerat, complexion

&

iribus statim mutatus fuit, & factus uti triginta annos natus, discretio-, memoriæ & intelligentiæ, quàm antè, melioris particeps. In aula re- 80 annos posteà vixit. *Hæc Baco-: qui aquam illam siue liquorem auro tincturam recepisse citrinam san-, vt ibidem testatur.*

Præterea haud mediocri præsidio e- occipitiũ, ceruicem, stomachũ, ven- pedes, aliásq; si placet, corporis par- oleo liliaceo, vel chamæmelino vn-re. Quantũ enim vtrumq; valet, cùm um, tùm oleum, ad sanitatem con-uandam, Pollionis responsio nos e-ceat, qui cùm centenarius existens Augusto interrogatus esset (vt re-t Plinius) qua ratione vigôrem cor-ris ac mentis, ad eam vsque ætatem nseruârat, respondisse fertur: Intùs ulso, foris oleo. Conducunt etiã ir-gationes ex decoctione herbarum lidarum & humidarum, sicut etiam orata calida. Omnia verò humida frigida fugienda sunt. Aptum quoq; ibus studendi tempus existit, cùm rebrum moderatè calefit, à vino ci-sque optimi succi nupèr sumptis.

Tunc

Tunc enim ideæ notionũ quasi ebulliunt, & eleuantur, vndè inuentio acuitur. Nam phantasia, quoniam corporea participat qualitate, escis potibúsq; excitatur. Vidêmus enim quòd in primo epularum discubitu, altum inter conuiuas vagatur silentium; postquã verò spiritu vini, carniúmq; boni succi cerebrum eorum incaluit, species eleuantur, vndè omnes mensæ assidentes garrîre incipiunt.

Atque hæc de memoriæ debilitatæ restitutione, morbum modò non contraxerit, dixisse sufficiat.

Cap. 7.
De cerebri morbis.

IAm verò si memoria eoúsque debilitata fuerit, vt etiam morbus contrahatur, ad pharmaca tanquã vltima refugia confugiendum est: nil tamen inconsulto medico in curationibus aggrediendum. Vtcunque enim apud probatos auctôres passim reperiuntur medicinæ, quibus memoria valdè læsa, & deperdita restituatur: Attamen non satis tuti existimus librorum directionibus

omnibus tantùm niti. Quamdiu verò memoria suo officio eátenus prosperè fungitur, quátenus per innatū cerebri temperamentum, vtcunque à temperato deflectens, permittitur; à pharmacis omninò abstinere nos oportet. Quia natura auxiliaribus remedijs indies assuefacta, quandocunque grauatur, illa exspectabit, adeóque in suo munere obeundo remissior fiet. Et verissimum illud est vulgò quod dici solet:

Naturâ sanos frustrà medicina fatigat.

Sed iam peropus est, vt vela contraham, atque huic opusculo finem imponam: Id quod hic faciam cum verbis Horatianis concludens;

Viue, vale: siquid nouisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his vtere mecum.

Trin-vni Deo gloria.

FINIS.



Authores, è quorum potissimùm operibus praeceptiones de memoria naturali fouenda, compilaui, hi extitêre.

St. Tzegedinus. Guil. Perkinsus.	*Theologi.*
H. Gualt. Ryff. Guil. Gratarolus. Fernelius. Leon. Fuchsius. H. Ranzouius. D. Brightus.	*Medici & Philosophi.*

Authoris postscriptum.

PAg. 61 lin. 8. *inter vocabula* euocat & Sicut, *inferatur hac regula*, Idea omnis proprijs suis circũstantijs vestiri debet, prout eius natura fert. Pag. 84. lin. 19. lege, *In omni idea scriptili.*

Errata Typographi sic restitue:

In Prolegom. pag. 14. lin. 12. lege *filo.*

Pag.	Linea.	lege.
14	3	*attenero.*
16	26	*attractum.*
58	22	*sesquipedem.*
64	18	*ericetum.*
70	17	*caelum.*
82	18	*finistima.*

Atque hac raptim obseruata. Siqua forsitan alia Lector inueniat, candide emendet.